



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici,
& Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur,
Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis,
Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris
novem ...

Via Lactea Sive Institutiones Juris Canonici

Chiericato, Giovanni Maria
Augustæ Vindellicorum, 1730

Liber Primvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94613](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94613)



VIA LACTEA SIVE INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

LIBER PRIMUS.

TIT. I.

De Jure Canonico.



N quacunq[ue] scientia, ad ejus cognitionem acquirendam, principia ipsius oportet investigare: sic accedentibus ad studium Juris Canonici convenit scire ejusdem Juris principia. Qua-

propter in primis breviter explicandum est

1. Quid sit Jus Canonicum?
2. Quis Juris Canonici fuerit primus Auctor?
3. Quando initium habuerit Jus Canonicum?
4. Cujus ejus sit finis?
5. Ex quibus Præceptis emanaverit?

Quò ad Primum. Sciendum est Jus Canonicum; prout etiam lex Canonica plures habere Etymologias; nam dicitur Jus à *Jubendo*; quia jubet, & præcipit, quæ sunt faciendæ; vel quæ veniunt evitanda. Item vocatur Jus à *Justitia*; nam mandat & ordinat fieri, quæ iusta, & recta sunt; atque prohibet, quæ injusta, & iniqua censentur: & ideo dicitur *Canonicum* a verbo Græco *Canon*, quod significat latine *Rectum*, & *Regulam*. Pari modo appellatur *Lex Canonica*, quia, ut docet S. Thom. 1. 2. qu. 90. art. 1. Lex dicitur vel à *ligando*, quia obligat, & ligat homines ad ejus observantiam; vel juxta M. Tullium 1. de *Legib.* à *legendo*, & *diligendo*; quia prævia multa lectione est componenda; vel secundum D. Isidor. lib. 2. *Etym.* cap. 10. debet dari in scriptis, ut à subditis, qui eam servare debent, legatur; & tanquam recta Regula pro bene operando, eorundem oculis inspicenda detur. His stantibus definitur Jus Canonicum, ut sit Regula recta, quæ Christianorum actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit; ex *Scripturis Sacris*, *Summorum Pontificum Decretis*, & *Sanctorum Patrum scriptis deducta*. Dicitur *Christianorum actiones*, quia Jus Canonicum principaliter institutum est pro populi Christiani bono regimine: non autem Paganorum; vel Infide-

Doſi, Clericati Tom. II, Lib. VIII.

lium. Dicitur *ad finem æternæ beatitudinis*, quia, (ut infra declarabimus) talis est scopus, & Intentio hujus Juris. Dicitur *ex Scripturis Sacris*, &c. nam ex earum lectione, studio, & observatione, nec non ex Constitutionibus Papalibus, ac Sanctorum Patrum documentis formatum est.

Quò ad Secundum. Respondet Aloysius Riccius in *addit. ad Institut. Canon. Lancellotii lib. 1. tit. 1. §. Constat, in fin.* quod Christus Dominus Redemptor Noster fuit primus Auctor, & Institutor Juris Canonici; siquidem ipse dedit auctoritatem Petro condendi leges Canonicas, dum ei commisit regimen totius Ecclesiæ, quando dixit: *Petre pascere oves meas.* Jo. 21. idest gubernare, rege, & curam habe animarum, quæ per Baptismum ingredientur in Ecclesiam meam: non enim populus fidelis bene regi, pasci, & gubernari potest absque Legibus, quæ à Summis Pontificibus, (quorum primus fuit Petrus) nec non ab aliis Episcopis, qui Successores sunt Apostolorum, promulgantur; & hæc leges efficiunt Jus Canonicum. Hinc etiam Christus Dominus præcipit omnibus fidelibus Ecclesiam suam ingressuris, ut obediant Juri Canonico; idest Legibus, quæ per Pontifices, ac Episcopos ipsis observandæ proponentur; alias à gremio Ecclesiæ excludantur, ut habetur in illis verbis *Matth. 10. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.*

Quò ad Tertium. Jus Canonicum principium habuit in initio Ecclesiæ; primo, quando ab Apostolis electus fuit Sanctus Matthias ad Apostolatam. *Act. 1.* Electio enim Prælatorum est de Jure Canonico, *cap. 1. & tot. tit. de Elect.* Secundo, quando prædicantibus Apostolis Fidem Christianam in Jerusalem, ut habetur *Act. 6* factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano Vidua eorum; videlicet in distributione elemosynarum, quæ quotidie fiebant pro alimentis converſorum ad fidem: Ideo Sancti Apostoli ad servandam mutam in baptizatis charitatem, congregantes se, & adhibito seniorum discipulorum consilio, fe-

A

cerunt

cerunt decretum eligendi, prout statim elegerunt septem Diaconos; quibus inter cetera officia dederunt onus præsidendi Mensis, & ministerium distribuendi eleemosynas pauperibus. In hoc igitur Apostolorum concilio initium habuit Jus Canonicum ex decreto ab iisdem Apostolis facto circa Diaconorum ministeria, officia, ac functiones; tum in cura pauperum gerenda quò ad eleemosynas; tum in Sacrosancta Eucharistia ministranda; & hoc Concilium juxta modernum Episcopum Nucerin, in sua doctissima Historia Conciliorum, fuit Anno Domini 34. Successive postea Anno 51, alia Decreta Juris Canonici emanarunt ab Apostolis circa Circumcisionem, & alias Mosaycas Caremonias non observandas, prout habetur *Act. 15*, ubi ita Apostoli omnibus fidelibus rescripserunt, ac mandarunt, ut tantummodo abstinerent ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.

Quò ad Quartum. Finis Juris Canonici est dirigere hominem ad consequendam beatitudinem æternam in Cœlis, ad differentiam Juris Civilis, cujus finis est conducere populum ad temporalem felicitatem. Homo enim in duplici Politia consideratur; Una civili ad pacifice convivendum; Altera spirituali ad sanctè vivendum; & ideo indiget duplici directione pro utroque fine obtinendo. Sicut igitur Jus Civile intendit conducere homines ad felicitatem præsentis vitæ; sic Jus Canonicum illos dirigit ad felicitatem præsentis vitæ; sic Jus Canonicum illos dirigit ad felicitatem supernaturalem, quæ est Vita æterna; ut ex mente S. Thomæ, & Scoti differit doctissimus Maffrius in *Theol. Moral. disp. 2. de Legib. num. 83.*

Quò ad Ultimum. Respondetur Jus Canonicum formatum esse, ac emanasse ex Præceptis Juris Divini, Consuetudine, & Ecclesiasticis Constitutionibus, de quibus in sequenti titulo est despicendum.

TIT. II.

De Jure Divino, Consuetudine, & Constitutionibus.

Cum itaque Jus Canonicum emanaverit ex Jure Divino, ex Consuetudine, & ex Ecclesiasticis Constitutionibus, in primis, & ante omnia convenit scire:

1. Quid sit Jus Divinum?
2. Quotuplex sit?
3. Quid, & quotuplex sit Consuetudo?
4. Quot requirantur, ut sit valida?
5. Quid sit, & quotuplex Constitutio?

Quò ad Primum. Jus Divinum dupliciter sumi potest; large, & strictè. Largo modo, si sumatur, est ipsa Mens Divina, quæ cum ab æterno præordinaverit creationem mundi in tempore faciendam; tunc etiam tanquam supremum principium tum rerum omnium, ac hominum futurorum, præscripsit rationem gubernationis eorundem juxta ejus infinitam sapientiam, ut legitur *Prov. 8.* & prout advertit S. Thomas 1. 2. qu. 91. art. 1. subdens quòd hoc respectu Jus Divinum taliter acceptum vocatur *Lex æterna*; & idem scribit Bonacina *rom. 2. de Legib. in genere disp. 1. q. 1. punct. 2. num. 2.* & Maffrius in *Theol. mor. disp. 2. num. 3.* ubi dat hanc definitionem, videlicet est *Regula, secundum quam vel ad bene agendum dirigimur, vel à male agendo retrahimur.* Jus verò Divinum strictè, & propriè sumptum est illud, quòd Deus per seipsum ad homines tulit, & iis-

dem indicavit, ut ait Azor. *rom. 1. Instit. Moral. lib. 5. cap. 1. quæst. 5.* vel est illud, quòd continetur in Scriptura Sacra, & in Evangelio, & est immutabile, ut scribit Lancelot. *in hoc tit. 2. s. 1.* Hinc notant tam Theologi, quam Canonici: neminem posse dispensare contra præcepta Juris Divini, ut habetur in *cap. Sicut quadam, dist. 14. in cap. Sunt quidam, in cap. contra Statuta, & in cap. Omne, 25. qu. 1.* Et ratio est, quia nemo potest dispensare contra legem Superioris: Deus autem est Superior omnium hominum, qui Deo tanquam supremo Superiori suo parere debent. Admittunt tamen Doctores, posse aliquando Summum Pontificem interpretari in casu dubio non esse obligationem parendi Legi Divinæ; vel materiam non esse obligatoriam, ob aliquam gravem causam, ut quando dispensat ab observantia Voti, ut differit Maffrius *d. disp. 2. de Legib. num. 78.*

Quò ad Secundum. Jus Divinum duplex est, *Vetus, & Novum.* Jus Divinum Vetus est illud, quòd traditum fuit à Deo hominibus per Moysen; & dicebatur *Lex Mosayca*, quæ habetur in libris Exodi, Levitici, & Numerorum. Jus Divinum Novum est illud, quòd à Christo Domino insinuatum est Ecclesiæ, & continetur in Evangeliiis. Legis Divinæ veteris Præcepta erant triplicia, nempe *Moralia, Caremonialia, & Judicialia.* Prima continebantur in Decalogo, quòd legitur *Exod. 20.* & erant decem; quæ his verbis sunt descripta:

- Idola sperne: Dei tibi non sit Nomen inane:
Sabbata sanctifices: Habeas in honore Parentes:
Non Occisor eris: Mœchus: Fur: Testis iniquus:
Non alii Nuptiam: Non rem cupies alienam.*

Præcepta Caremonialia erant illa, quæ Populo Hebræo ad Deum ritè colendum, per Sacrificia, aliosque ritus Sacros, & Caremonias ab ipso Deo præscripta erant; & quidem plurima, quæ leguntur *Exod. 23. à num. 14. & seqq.* & in toto Libro *Levitici*; qui talis dicebatur, nempe *Sacerdotalis, aut Sacrificatorius*; in eo enim continentur omnia Præcepta Divina Caremonialia, quibus Israeliticus populus Deo, & Dei cultui allectus erat circa oblationes, & Sacrificia. Præcepta autem Judicialia erant plurima pariter & ipsa; ac habentur in tribus Capitulis *Exodi 21. 22. & 23.* & fuerunt à Deo præscripta ad populum Hebræum justè, & pacifice gubernandum; atque ad lites inter eosdem Hebræos dirimendas. Ex prædictis omnibus Præceptis Moralìa tantum nunc vigent, & remanent observanda; etenim Caremonialia, & Judicialia omnia extincta sunt per legem Evangelicam, illa enim omnia erant figura, & umbra mortis Christi, per quam Novum Testamentum veniebat inducendum, & Jus majoris perfectionis ad beatitudinem æternam obtinendam noviter promulgandum. Quando autem præcisè, & in quo puncto Præcepta Divina Caremonialia, & Judicialia cessaverint? Variæ sunt DD. opiniones; quarum communior est, cessationem contigisse statim post Festum Pentecostes, dum Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum novam legem Evangelicam promulgare ceperunt, ut probat Maffrius *d. disp. 2. de Legib. à num. 63. & seqq.*

Præcepta tandem Legis Evangelicæ sunt quadruplicia; alia enim sunt *Fidei*, alia *Spei*, alia *Charitatis*, & alia Sacramentorum. Azor. *d. rom. 1. Instit. moral. lib. 5. cap. 1. qu. 5.*

Quò

Quò ad Tertium. Cùm Jus Canonicum emanaverit non solum ex Præceptis Juris Divini, sed etiam ex Consuetudine; sciendum est, quòd Consuetudo est Jus quoddam moribus institutum, quòd pro Lege suscipitur, dummodo Divino Juri, neque Canonici contradicant Constitutionibus. Ita Lancellot. hoc tit. §. 2. & 3. Duplex autem est Consuetudo scripta, & non scripta. Prima est, quando Decuriones Civitatis eam in scriptis redegerunt, & tales sunt Consuetudines Feudorum, cap. Consuetudo dist. 1. l. De quibus. ff. de Legib. Altera est, quæ caret scriptis; & hæc est proprie Consuetudo, quam tamen allegans probare debet. Abb. in cap. fin. de Consuetudine.

Quò ad Quartum. Quinque requiruntur ad inducendam Consuetudinem vim Legis habentem, & obligantem. Primo, ut sit rationabilis; nec bonis moribus adversetur; tunc enim non esset consuetudo, sed corruptela; & non obstante quocunque temporis cursu minime observanda foret, cap. fin. de consuetud. Secundo, quòd sit legitimo tempore observata; videlicet in rebus Civilibus per decem saltem annos; in Ecclesiasticis per quadraginta. Glossa in d. cap. fin. de consuetud. Tertio, quòd adsint actus frequentes. l. 1. C. Quæ sit longa consuet. & ideo unicus actus non sufficit ad inducendam consuetudinem; etsi quando fuisset inducta sufficeret unicus actus contrarius ad eam abolendam. Bart. in l. De quibus, 32. ff. de Legib. Quarto, quòd inducatur animo obligandi; & in illis rebus, in quibus eam inducentes possunt se ipsos obligare. Hinc si quid fiat ex sola liberalitate, non nascitur obligatio ita in posterum faciendi; nam in facultativis non inducitur consuetudo. Nicol. Instit. Civil. lib. 1. tit. 2. num. 51. Et si Clerici consentiant in actibus Ecclesiasticæ immunitati contrariis non valet eorum consuetudo. Nicol. ubi sup. n. 50. in fin. Et Quinto requiritur, quòd ipsa consuetudo non sit à Principe prohibita, damnata, seu abrogata, tam de præterito, quam de futuro; Nicol. ibid. num. 46. Hinc Consuetudines præjudiciales Ecclesiis, vel Personis, aut bonis Ecclesiasticis introduci non possunt; & quatenus fuissent introductæ sustineri non valent; quia Urbanus Papa VIII. Anno 1641. per Bullam diei 5. Junii. Incipien. Romanus Pontifex. Hujusmodi omnes Consuetudines cassavit, & annullavit; ac introduci vetuit, ut notat Fagnan. in cap. Consuetudines, num. 59. & 60. de consuetud. tom. 1. Illud etiam est notandum, quòd sæpe Consuetudo à Doctoribus vocatur Præscriptio, quia hæc duo nomina sunt synonyma; & unum, ac idem significant. Verè tamen, ac proprie Consuetudo est illa, quæ observatur ab universitate populi; Præscriptio vero, quæ est in usu apud privatas, & singulares personas tantum; requirit autem & ipsa omnes illas quinque conditiones, & qualitates ad sui valorem, quas supra retulimus de Consuetudine. Adden. ad Rotam coram Ludoviso Decis. 191. num. 6. & Eminentiss. Card. de Luca de Jurisdic. discip. 34. num. 28. Tandem sciendum, quòd Doctori attestanti de Consuetudine non est credendum; sed est probanda per illum, qui se fundat in illa. Rota coram Coccino Decis. 123. num. 27. & 28. & coram Othobono Decis. 149. n. 14. & 15. Nicol. d. lib. 1. Instit. Civil. tit. 2. num. 53.

Quò ad Quintum. Constitutio est omnis Lex scripta, cap. Constitutio, dist. 2. & toto titulo Doct. Clericali Tom. II. Lib. VIII.

extr. de Constitutionib. ac ita dicitur quasi communis Statutio, quia obligat omnes subditos illius, à quo ipsa fit, & promulgatur. Constitutionum autem alix sunt Civiles, alix Ecclesiasticæ. Et quidem Civiles sunt, quas Princeps, aut Magistratus laicus promulgat, vel quas Populi sibi metipsis observandas proponunt. Et hæc tanquam leges sunt observandæ, & reverenter suscipiendæ, dist. 10. per tot. dummodo non sint contra Evangelium, vel Decalogum, aut Jus naturale, Clem. Pastoralis, de Sent. & re Judic. Sed utrum obligent in conscientia? & sub pœna peccati mortalis? Non sunt concordēs DD. nam alii asserunt, & alii negant, ut in cap. 1. de Constit. S. Thomas 2. 2. qu. 86. art. 9. Novissime Maffrius disp. 2. de Legib. numer. 127. & seqq.

Ecclesiasticæ verò Constitutiones sunt illæ, quæ repositæ habentur in corpore Juris Canonici; & sunt collectæ vel ex Conciliis Sacris, vel ex dictis Sanctorum Patrum, vel ex Decretis, seu Responsis Summorum Pontificum; sive ex Synodis Provincialibus, aut Diocesanis, vel ex Bullis Pontificiis, ac Decretis Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, in eorum Congregationibus emanatis, de quibus omnibus in sequenti titulo est differendum.

TIT. III.

De Ecclesiasticis Constitutionibus.

Quoniam Ecclesiasticæ Constitutiones sunt illæ, quæ habentur in Voluminibus Juris Canonici, ut dictum est supra; idcirco ad eas cognoscendas explicare oportet.

1. Quæ & quot sint Volumina Juris Canonici? & à quibus fuerint composita, & congesta?
2. Quanam sint Controversiæ, vel Materix, quæ discutiuntur in iisdem Voluminibus?
3. Cujus Auctoritatis sint Decreta, & Constitutiones in iisdem Voluminibus repositæ.

Quò ad Primum. Volumina Juris Canonici sunt Novem. Primum est Decretum Gratiani, quod in quatuor Partes principales distinguitur: Prima continet distinctiones centum, & unam. Secunda causas triginta sex cum suis quæstionibus. Tertia, tractatum de Penitentia, in septem distinctiones divisum. Quarta agit de Consecratione tam rerum inanimatarum, quæ sunt Ecclesiæ; quam animatarum, qui sunt Homines, Dei servitio, ac cultui Divino per Ordines minores, ac Sacros, promoti. Gratianus fuit Monachus Benedictinus, patria Clusinus, qui floruit tempore Eugenii Tertii Pontificis, & Conradi Tertii Imperatoris Anno Domini 1145. Scripsit hoc Volumen Bononiæ in Monasterio Sancti Felicis, & notat Eminentiss. Cardin. Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, verb. Gratianus, Anno 1140. Secundum Volumen continet quinque libros Decretalium ex Pontificum responsis, & Constitutionibus, nec non ex Generalium Conciliorum, & aliquorum Provincialium, atque Diocesanorum Decretis, per Sanctum Raymundum de Penna forti Barcinonem. Ordinis Prædicatorum, jussu Gregorii Noni Anno 1230. compilatum, & confectum; ut testatur ipsemet Gregorius Nonus in Proemio ejusdem Voluminis Decretalium. Tertium Volumen est Liber sextus Decretalium, de mandato Bonifacii Papæ VIII. Anno 1294. à tribus doctissimis Viris, ac Sacrorum Canonum Professoribus, Guilielmo Archiepiscopo Ebrundunens.

dunen. Berengario Episcopo Biteren. ac Magistro Richardo de Senis S. R. E. Vicecancellario, ex Epistolis Summorum Pontificum compositum, in quinque libros, ac Titulos septuaginta septem subdivisum; ut ex Proemio ejusdem Voluminis, ac Libri sexti deprehenditur. Quartum Volumen continet Clementinas; id est Constitutiones à Clemente Papa Quinto, Anno 1305. electo, in Concilio Viennensi promulgatas; quas, cum aliis ejusdem Pontificis editis, Joannes Papa XXII. ipsius Successor in unum collectas, & in quinque libros, ac quinquaginta duos Titulos subdivisas, Anno 1318. publicavit, pro ut in earumdem Clementinarum Proemio continetur. Quintum Volumen includit Extravagantes tum ejusdem Joannis Papæ XXII. nempe Constitutiones, quæ tum ab ipso, post editas Clementinas, tum ab aliis Pontificibus fuerunt promulgatæ, ut legitur in earum Proemiis. Sextum Volumen appellari possunt Bullaria continentia Constitutiones Summorum Pontificum, quæ non habentur in corpore Juris; sed sunt collectæ à Laetio Cherubino Jurisconsulto Romano: & incipiunt à S. Leone Papa, & proseguuntur usque ad Urbanum VIII. quatuor Tomos efformantes, quibus alii duo Tomi adjecti sunt, qui continent ultimas Constitutiones ejusdem Urbani VIII. nec non Successorum Pontificum usque ad Clementem XI. nunc feliciter regnantem. His Tomis sex adjungi possunt alii duo habentes Privilegia, & Constitutiones Apostolicas, quæ à diversis Summis Pontificibus emanarunt ad favorem Illustrissimæ, ac Amplissimæ Congregationis Monachorum Casinensium; & hi fuerunt confecti à R. P. D. Cornelio Margarino ejusdem Congregationis Generali Archivista. Septimum Volumen Ecclesiasticarum Constitutionum appellari possunt Tomi quinque Conciliorum tam Generalium, quam Provincialium typis impressi Venetiis per Dominicum Nicolinum Anno 1585. in quibus habentur integri actus, Decreta, & Sessiones eorumdem omnium Conciliorum: ac hi sunt illustrati à moderno Episcopo Nucernino, qui nuperimè scripsit eruditissimam Historiam Conciliorum, typis datam Venetiis per Andream Poletum Anno 1686. Octavum Volumen vocari potest postremum Generale Concilium Tridentinum, quo in præfenti regitur universalis Ecclesia tum in articulis fidei, & Sacramentorum; tum circa regimen Populi Christiani quò ad Divinum cultum, & observantiam Legis Evangelicæ, Episcopis, Parochis, & aliis animarum Pastoribus incumbens. Nonum tandem Volumen reputari possunt Libri Decretorum, seu Declarationum Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, quas pronunciant Romæ in Congregationibus S. Rituum. Concilii Tridentini, Episcoporum, & Regularium; ac de aliis rebus, & super aliis Negotiis, Christianam Rempublicam concernentibus, per Summos Pontifices institutis: quamvis enim disputent Moralitæ: An prædictæ Declarationes habeant vim legis; ut videre est apud Dianam part. 1. tract. 10. resol. 29. quæ in ejus Opere Coordinato habetur to. 6. tract. 1. resol. 21. Sententia affirmativa est verior, quando exhibentur in forma Authentica; ut probat Barbosa de Jure Eccles. Univ. lib. 1. cap. 4. num. 83. & dixit Rota

coram Buratto decis. 479. num. 21. Declarationes supradictæ non publicantur, neque typis imprimuntur; sed passim à Doctoribus allegantur: & earum Augustinus Barbosa Librum satis amplum collegit, quem Summam Apostolicarum Decisionum inscripsit, & novissime idem fecit Hieronymus Nicolius in suis Flosculis, ordine alphabetico digestis.

Quò ad Secundum. Controversiæ, seu Materiæ, quæ discutiuntur in his Voluminibus, sunt Quadruplicis generis: aliæ enim concernunt personas Ecclesiasticas, & earum alimenta; aliæ Sacramenta, & Ecclesiarum Immunitatem, cultum, & nitorem; aliæ dant formam Judicis, & Foro contentioso pro personis Ecclesiasticis, & Religiosis: Aliæ tandem agunt de harum Personarum delictis, & pœnis: ac præcipue de Ecclesiasticis Censuris. Igitur in primis differitur de Summo Pontifice, de Episcopis, ac aliis Prælati inferioribus; de Canonicis, Sacerdotibus, & aliis clericis: quomodo hi omnes eligantur, & promoveantur: & postquam fuerint electi, ac promoti, quomodo, & quando Præbendis, & Beneficiis decorentur; & de his omnibus in primo harum Canonicarum Institutionum Libro. Secundæ, quas secutus Liber complectitur, declarant septem Sacramenta Ecclesiæ, ac omnia Matrimonii impedimenta; & subinde de Immunitate Ecclesiarum agunt, nec non de Censibus, Decimis, ac aliis rebus, quæ iisdem Ecclesiis, & earum Rectoribus debentur. Tertiæ, quæ in tertio Libro continentur, explicant formam procedendi civiliter in foro Ecclesiastico contra Personas religiosas, & eidem Foro subiectas. Ultimæ, quæ in quarto Libro examinantur, respiciunt crimina Clericorum, dant formam criminaliter agendi contra illos; & explicant pœnas, & præcipue Ecclesiasticas Censuras, quibus debent puniri. Ex his omnibus resultat integer Tractatus totius Juris Canonici, in prædictis novem Voluminibus contenti; & ex hac compendiosa explicatione Studiosi Adolescentes, brevi, ac jucundo itinere, ad intelligentiam omnium Sacrorum Canonum conducuntur.

Quò ad Tertium. Si querimus, cujus Auctoritatis sint Decreta, & Constitutiones in supra relatissimis novem Voluminibus repositæ? Distinguere oportet Primum Volumen, vocatum Decretum Gratiani: ab aliis octo subsequentibus Voluminibus supra relatissimis. Decretum Gratiani, secundum communem Canonistarum opinionem, non habet auctoritatem Juris, nec vim Legis in tribus: videlicet in Rubricis, in Capitulis, quæ inscribuntur *Palea*, & in Legibus Civilibus, ac Canonibus, qui non reperiuntur in locis, ab eodem Gratiano citatis, & desumptis; ut plene differit Fagnanus in cap. Canonum Statuta à num. 37. & seqq. De Constitutionibus rom. 1. Primo Rubricæ, quæ singulis Capitulis Decreti reperiuntur præpositæ, Canonis auctoritatem non habent, ex pluribus rationibus, quas adducit Fagnanus ubi supra num. 40. sed præcipue quia sive eas fecerit Gratianus, sive aliquis ejus discipulus, neuter poterat eis tribuere Jus, aut auctoritatem Canonis, quam non habebat, cap. Translatio. De Constitut. l. fin. ff. de Legib. Secundo, capitula ejusdem Decreti Gratiani, cum hac voce *Palea*, non sunt pro Canonibus recipienda, quia proveniunt ab in-

certo

certo Auctore; ut notant DD. ab eodem Fagnano num. 43. citati; qui num. 44. subdit, eundem Gratianum dixisse, cum ipse postea viderit additionem illorum capitulorum operi suo, *Palesa est, non est de grano meo.* Tertio plures leges Civiles, & Canones antiqui inserti sunt, per errorem ab eodem Gratiano in suo Volumine Decreti, quæ in originalibus libris Juris Civilis, vel Canonici non reperiuntur; ut notat Emin. Card. Bellarminus de *Script. Eccles. dict. verb. Gratian.* Ideo nisi prædicta Jura Civilia, & Canones Sacri reperiuntur in fonte apud eorum Auctorem, vim Legis habere non possunt. Cætera Capitula totius Decreti, quæ vera sunt, vim legis obtinent, potissimum post expurgationem ejusdem Voluminis Gratiani factam de mandato Gregorii Papæ XXIII. qui illud approbavit, & voluit esse partem Juris Canonici, ut legitur in principio ejusdem Decreti; & notat Fagnan. in *d. cap. Canonum num. 46. de Constitut.* Hæc de primo Volumine.

Quò ad sequentia quinque Volumina, in quibus continentur Decretales Gregorii IX. Liber sextus Bonifacii Octavi, Clementinæ, & Extravagantes Joannis XXIII. nec non Bullaria Romana, in quibus habentur Pontificiæ Constitutiones, firmiter est tenendum, ea omnia esse Scrinia Sacrosancta, in quibus reconditi sunt thesauri Juris Canonici; omnes enim Canones, decreta, Mandata, & Constitutiones eorundem Quinque Voluminum habent vim Legis, & ab omnibus sunt servandæ, *cap. Canonum, de Constitut.* & qui eas non servant, blasphemare dicuntur Spiritum Sanctum, *cap. Violatores 25. quæst. 1.* Et ideo Papæ Decreta servanda sunt, ita ac si à Sancto Petro essent facta, *cap. Sic omnes, cap. Si Romanorum, cap. Nulli fas sit. Dist. 19. & cap. Si Decreta, distinct. 20.* & ita communiter docent omnes Theologi, ac Canonistæ, quos longa serie allegat Fagnan. in *dict. cap. Canonum Statuta, à num. 6. & seq. de Constitut.*

Septimum Juris Canonici Volumen, quod formari diximus à quinque Tomis Conciliorum Generalium, habet & ipsum vim Legis: & dicitur tantam habere auctoritatem, quam quatuor Evangelia, *cap. Sicut Sancti Evangelii, dist. 15.* quare quæ in eis sunt decreta, & definita sunt ab omnibus observanda, *cap. A Sanctis 25. quæst. 1.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa in *Epitome Canonum. Verb. Conciliorum Generalium Sanctitas, & auctoritas ad definiendum, ob obligandum, pag. 190.*

De octavo ejusdem Juris Canonici Volumine, quòd Tridentinum Concilium esse posse diximus, nefas esset dubitare, An omnia, & singula ejus Decreta, & Statuta vim legis habeant? tum quia idem Concilium in *cap. 2. sess. 25. de Refor. mandat, & præcipit, ea ab omnibus servari;* tum etiam quia Pius Papa Quartus in Bulla confirmatoria ejusdem Concilii, & in ejus sine impressa, jubet, & mandat omnibus, & singulis Episcopis in virtute Sanctæ obedientiæ, ut eadem Decreta, & Statuta in judicio, & extra judicium observent, & à subditis quisque suis inviolabiliter faciant observari.

Idem de Nono Volumine, scilicet de Declarationibus, & Decretis SS. Congregationum Eminentiss. S. R. E. Cardinalium, ut supra ex

Barbosa dictum est, & ego ostendi in meis Decisionibus de *Sacram. Ord. decis. 15. num. 31.* & latius in meis *Discordiis Forensibus de Jurisdic. Disc. 2. num. 22.* ubi DD.

T I T. IV.

De Jure Personarum.

Dictum est supra Jus Canonicum esse institutum pro recto regimine Personarum, Rerum, ac Judiciorum, quæ in foro Ecclesiastico habentur, nec non pro punitione delictorum; idcirco agendum est de Personis, & videndum.

1. *Qua sit præcipua Personarum divisio?*

2. *Qua Clericorum distinctio?*

Quò ad Primum. Christianorum, (de quibus semper intelligimus, cum de his, qui foris sunt, nihil ad nos, *cap. Multi 2. quæst. 1.*) duæ sunt species. Alii appellantur Laici, & sunt illi, qui civili societate conjuncti, ad humani generis propagationem ordinati videntur; & his licet temporalia possidere, Uxorem ducere, controversias sæculares judicare. Alii verò Clerici existunt; & hi sunt Divinis officiis dediti, atque addicti; ab omni sæculari negotio separati, ne à Divinis distrahantur, *cap. Duo 12. quæst. 1.* & de utrisque agit Glossa hic in *Verb. Populares.*

Quò ad Secundum. Clerici in tres classes distinguuntur: alii enim sunt Sacerdotes; alii in Sacris ordinibus constituti; & alii nec Sacerdotes, nec in Sacris, sed in minoribus ordinibus existunt. Sacerdotes sunt Presbyteri, qui in Sacris Altissimo deserviunt; Eucharistiam conficiunt: & Sacramenta populo fidei ministrant. In sacris sunt Diaconi, & Subdiaconi: illi sunt immediati Ministri Sacerdotum, *cap. Diaconus 98. dist.* Isti Diaconis subsunt; ac Sacerdotibus mediante Diacono deserviunt. Qui autem nec Sacerdotes, nec in Sacris sunt, obtinent minores Ordines, nempe Acolythatum, Exorcistatum, Lectoratum, & Ostiariatum: Acolythorum officium est, lumina pro Sacris peragendis accendere. Exorcistarum manus super Ænergumenis, seu lunaticis, vel à Dæmonibus obsessis imponere. Lectorum lectiones Breviarii in Ecclesia recitare; & Ostiariorum ostia Templi claudere, ac aperire, Infideles, ac Excommunicatos ejicere, *cap. Proletis 25. dist. cap. Exorcista, cap. Ostiarius, cap. Lector, cap. Acolythus, 22. dist.*

T I T. V.

De Episcopis, ac Summo Pontifice.

Quoniam illorum, qui sunt in Sacerdotio, alii in altiori gradu, alii verò in inferiori consistunt; prius agendum est de his, qui altiorum gradum possident; deinde de his, qui inferiores sunt, verba faciemus. Igitur in præfenti videbimus:

1. *Quis Summus Pontifex dicatur?*

2. *Quis Episcopus?*

3. *Quot sint Episcoporum ordines?*

4. *Qua sit horum omnium auctoritas?*

Quò ad Primum. In lata significatione ille est Pontifex, qui alicui populo præficatur, Civitati, ac Diocesi pro religione conservanda, & animabus ad æternam felicitatem dirigendis;

& hic etiam Episcopus appellatur; ideoque Ecclesia in Officio Sanctorum Episcoporum, de eis cantat: *Sacerdos, & Pontifex, ac virtutum opifex &c.* Summus autem Pontifex verè, & propriè est Pontifex Romanus, qui nominatur Papa, quasi omnium Pater, & eligitur, Divino afflante Spiritu, à Cardinalibus in locum Divi Petri; habetque totius Catholice Religionis curam in universo Orbe; vocaturque etiam *Hierarcha*, idest Sacerdotum primus, ut in Proemio Decretalium.

Quò ad Secundum. Episcopi nomen olim fuit commune omnibus Presbyteris; sed nunc profertur solum de Antistitibus, quibus Sacerdotes, & Clerici unius Diocesis subiiciuntur; diciturque Episcopus, quasi *Speculator*, vel *Superintendens*, quia debet speculari omnia, quæ conferunt ad æternam salutem, ut officium adimpleat perfecti Pastoris, de quo scriptum est, *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Ita S. Thom. 2. 2. *quest.* 185. *art.* 7. *ad Primum.*

Quò ad Tertium. Tres Episcoporum ordines in Ecclesia Catholica sunt constituti; alii enim dicuntur Patriarchæ, seu Primates; & sunt illi, qui post Pontificem Romanum, primum locum tenent, & dicuntur Patriarchæ, quia in excelso loco, ac gradu consistunt, ac Patrum Principes appellantur, *cap. Cleros. §. Ordo. 21. dist.* & sunt quatuor præcipui; scilicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, & Antiochenis. Alii verò Archiepiscopi, ac Metropolitanæ dicuntur, & sunt Principes Episcoporum unius Provinciæ: quia in Civitate principali Provinciæ degunt; & sub se habent plures Episcopos. *c. Scitote. 6. qu. 3.* Alii tandem sunt Episcopi, qui populis Civitatis, in qua degunt, & villarum subditarum, intra certos fines suæ Diocesis, præsumt, *cap. Illud 80. dist. cap. Provincia, dist. 98.*

Quò ad Postremum. Si de Summo Pontifice loquimur, ipse omnia potest, *cap. Cuncta 9. qu. 3.* & de omnibus cognoscit; nullus autem de illo, ut notatur in *dist. cap. Quamvis. 25. dist.* Si de Patriarchis tractamus, maximam & ipsi habent auctoritatem; cognoscunt enim in causis appellationum de his, quæ ab Episcopis, & Archiepiscopis sunt decisa; dummodò subint eorum conditioni, & Provinciæ. *Abb. in cap. Duo simul, extr. de Offic. ordin.* Hinc factum est, quòd in signum Auctoritatis, ante illos Crux deferatur erecta per vias, & in quocunque loco, nisi sit præsens Summus Pontifex, vel Legatus de Latere, *cap. Antiqua de Privileg.* Archiepiscopi quoque possunt inter suos suffraganeos, & auxiliares cognoscere, *cap. Pastoralis, de Offic. ordin.* & ex justa causa possunt etiam Provinciale convocare Concilium. *§. 1. supr. de Eccles. Constitut.* Ipsi quoque possunt ante se Crucem deferre, sed non in omni loco, ut faciunt Patriarchæ, sed tantummodò in eorum Provincia, nisi ex Privilegio, aut consuetudine, vel Præscriptione hoc eis sit indultum. *Abb. & Host. in cap. 1. Ut live pend. nihil innov.* Tandem Episcopi visitant Ecclesias sibi commendatas; conficiunt Sacrum Chrisma; consecrant Altaria; & Ecclesias pollutas reconciliant; ordinant Clericos, eos suspendunt à Divinis, deponunt, puniunt, excommunicant, & solemniter poenitentias imponunt, *cap. Cum Episcopus,*

de Penit. in 6. cap. Cum Apostolica, de Censib. cap. Accedentibus, de Excessib. Pralat. Ac hæc temporibus quoad aliqua exercent auctoritatem tanquam Sedis Apostolicæ Delegati etiam in Regulares exemptos, præcipue in his, quæ respiciunt administrationem Sacramentorum, & concernunt clausuram Monialium; ex pluribus Decretis Concilii Tridentini, Constitutionibusque Pontificiis; de quibus suo loco mentionem faciemus. Illud quoque est advertendum, quòd concessa Episcopis competunt etiam Archiepiscopis, & Patriarchis; attenda Regula, quæ dicit, concessum minori, multò magis concessum censetur majori, *cap. Cum in cunctis, de Elect.*

TIT. VI.

De Electione.

CUM tractatum sit de illis Sacerdotibus, qui in altiori gradu consistunt; meritò nunc tractatur de via, per quam ad gradum ipsum promoventur; & quia talis est Electio; ideo de illa est hic agendum; & declarandum:

1. Quid sit electio?
2. Qua in Electione desiderentur?
3. Quot modis fiat?

Quò ad Primum. Scire oportet, Electionis verbum tripliciter accipi; *Active*, prout quis eligit: *Passive*, prout quis eligitur, & *Operative*, qualis est actus eligendi; idcirco in hoc sensu definitur, ut *Electio sit alicujus hominis ad dignitatem, vel fraternali societatem canonicè facta vocatio, ut hic in §. 1.*

Quò ad Secundum, Ad validam electionem desiderantur, *Primo*, ut vacante Ecclesia vocentur omnes, qui jus habent eligendi, dummodo id fieri possit, nec propter moram sit Ecclesia damnata, *cap. Cum inter universas, cap. Quod sicut, extr. eod.* nam si omittetur citatio unius, qui posset vocari, electio esset nulla, *cap. in Genesi, extr. de Elect.* nisi eam ratam haberent, qui non essent vocati, *d. cap. Quod sicut, & in hoc attenditur consuetudo loci.* *Glossa in cap. Coram, eod. Secundo*, ut saltem duæ partes ex his, qui habent jus eligendi, sint præsentibus. *Tertio*, quòd major pars in electione consentiat, *d. cap. quod sicut, & in cap. Coram, & cap. Dudum, de Elect.* *Quarto*, quòd eligatur magis idoneus: pro qua idoneitate cognoscenda attendi debet auctoritas zelus, & numerus. Auctoritas consistit in dignitate electi, ac ejus meritis vitæ. Zelus, in animo Electorum, ut sine carnali amore eligant, & respiciant ad bonam vitam eligendorum, *cap. Si ergo. 8. quest. 1.* Numerus autem, ut major sit votorum pars pro eo, qui dici debet electus, *cap. Ecclesia il. 2. hoc tit. ubi cum vacasset Ecclesia Cathalanensis, & fuissent electi duo competiores, unus simplex Canonicus, alter Cardinalis; et si iste habuisset tantum Vota quatuordecim favorabilia; ille verò decem & septem; prevaluit Electio Cardinalis, ob ejus majorem dignitatem, scientiam, & ætatem. Est tamen verum, quòd si major numerus votorum multum excederet, esse attendendus, cap. Gratia, & d. cap. Ecclesia il. 2. hoc tit.* *Quinto*, requiritur, ut ante electionem fiat inquisitione super vita, & moribus Competitorum. *Glossa in cap. Cumana, in verb. Contra formam, hoc tit. Sexto*, ut deinde statim Electio fiat, & in longum non protrahatur, *cap. Post*

Post prateritam, extr. de Elect. Septimo, ut fiat intra tempus à Jure statutum, c. Ne pro defectu, extr. eod. Tempus autem statutum à Jure est tres menses, ut ibi. Intra quod tempus nisi fuerit facta electio, nisi legitimum impedimentum intervenierit, cessat pro ea vice facultas eligendi in electoribus. Octavo, ut fiat invocatio Sancti Spiritus, sine quo nihil boni potest fieri, c. Cum Paulus, l. 9. 1. Nonò, debent eligi tres ex numero electorum, qui debeant secreta, & singulatum vota cunctorum diligenter exquirere, & demum in scriptura publicare, ut §. per scrutinium, inf. eod. Quia propter, extr. eod. & tunc electio dicitur fieri per scrutinium. Decimo, ut suffragia secretò ferantur, d. c. Quia propter. Decimoprimò, ut de electione sequuta publica documenta conficiantur, ut infra in §. Per scrutinium eod. & d. cap. Quia propter. Ultimo, ut electio publicetur, qua publicata, non possent amplius eligentes variare, c. Publicato, extr. eod.

Illud tamen scias, quòd si habens facultatem eligendi iuste impeditus non potest interesse, tunc potest alteri partes suas demandare, dummodò sit de numero electorum, & de Collegio, d. cap. Quia propter, & §. Sed & si quis. Et si qui suscepit mandatum fuerit rogatus certam personam eligere, illam eligere debet; & poterit si voluerit, alium etiam eligere nomine proprio; quòd si simpliciter fuerit votum demandatum, tunc non potest nisi unum eligere, §. Et si tantum uni, hic, & c. Si quis iusto, §. Porro, eod. tit. in 6. Et si forte impeditus quis pluribus hoc idem commiserit, unus tantum eligit, qui primus officium occupavit. §. Quod si plurib. tit. eod. & cap. Non iniuste, extr. de Procur. Ita verò, quæ circa electionem dicuntur, non procedunt in electione Pontificis Maximi, quia cum cæteris præsit, convertit, ut singulari etiam modo eligatur, c. Licet, extr. eod. Et de electione ipsius, & forma eligendi tractatur in c. Ubi periculum majus, eod. tit. lib. 6. Supradicta omnia limitantur in Electione Summi Pontificis, quæ faciendâ est à S. R. E. Cardinalibus in Conclavi, juxta formam novissimæ Constitutionis Gregorii XV. quæ incipit: *Æterni Patris Filius*, de Anno 1621. & est *Constit. 13.* apud Cherubinum tom. 4. Bullarii Rom. ubi etiam *Constit. 19.* quæ prægit ritus in Conclavi servandos.

Quò ad Quartum. Duobus modis fit electio, vel simpliciter virtute divina; vel humano etiam concurrente judicio: sed quoniam credendum est, semper adesse Dei voluntatem, licet & humanum opus concurrat, dicendum est, quòd electio fit, vel per *Inspirationem*, vel per *Scrutinium*, vel per *Compromissum*.

Primo modo dicitur facta electio, quoties habentes jus eligendi sine aliquo præcedente tractatu, quasi Divini Spiritus impulsu in eundem consentiunt, eundemque nominando eligunt. §. Celebratur, hoc tit. Nec obest, si de alio eligendo egissent, dummodo non fuisset actum de repente electo, cap. Statuimus 61. dist. Dicitur in eundem consentiunt, quia si forte à populo quis postularetur, is clamor esset. §. Quod si forte, hoc tit. Nec valeret talis electio, c. 2. extr. eod. c. docens, 62. d. Non enim tam per inspirationem, quam per nefariam conspirationem is nominatus diceretur.

Secundo loco electio fit per scrutinium, quoties electoribus in unum convenientibus, suffragia secretò porriguntur, & à tribus de Collegio

ad hoc assumptis numerantur, ut supra dixi: Tunc ille, qui majorem partem suffragiorum habuerit, electus dicitur, d. §. per scrutinium, hoc tit. quod declara ut supra dictum fuit.

Per Compromissum tandem fit electio, quoties illi, qui Jus habent eligendi, de per se eligere nolunt, sed Jus illud, quod eligendi habent, in idoneos arbitros conferunt, qui ipsorum vices in eligendo sustineant, & isti arbitri debent esse gravis, maturique judicii, & ex ordine Religiosorum, c. Contingit, extr. de Arbitr. §. Per compromissum, hoc tit. Et circa istam electionem animadvertendum est, quòd si unus ex his, qui jus habent eligendi, nolit in arbitros consentire, nec vices suas mandare, non potest per viam compromissi fieri electio, d. §. Per compromissum, ibi omnium & notat in d. c. Quia propter, & in c. Scriptum, extr. eod. nisi maxima immineret necessitas, c. Quanto, de Constitutionib.

Illud etiam sciendum est, quòd Compromisso celebrato, tanta est his, qui sunt assumpti ad eligendum, tributa potestas, ut aliquo actu sequendo, quamvis non sit facta electio, non possunt privari facultate eligendi: ut notatur in c. In causis, extr. eod. & §. fin. hujus tituli.

Tandem monere oportet Studiosum Adolescentem, quòd hucusque dicta de Electione Episcoporum, ac aliorum Prælatorum hodie per totam Italiam recesserunt ab aula; nam ex Regula 2. & 3. Cancellaria Apostolica eorundem electiones Summo Pontifici sunt reservatæ; & hoc ob nimias discordias, & Simonias, quæ Capitula Canoniorum in electione committebant. Idcirco in sola Germania durat apud Capitula Cathedralium electio Prælatorum. In Gallia autem, in Hispania, & in Lusitania Reges nominant Episcopos, ac Prælatos. Nicolius *Instit. Can. lib. 1. tit. 6. num. 10.* Pax Jordanus *tom. 1. lib. 1. tit. 1. num. 4.* ubi alii DD.

T I T. VII.

Qui eligere, eligique possint?

CUM electio, de qua supra actum est, fieri non possit, nisi adsint, qui & active, & passive ipsam celebrent, ob id nunc de hac materia disseritur: Et videbimus

1. Qui possint eligere?
2. Qui possint eligi?
3. Intra quod tempus sit faciendâ electio?

Quò ad Primum: Ante omnia sciendum est, quòd ea, quæ subsequuntur, non ordinariè in praxi observantur; cum Pontifices, ut mox diximus, Episcopos, & Prælatos ut plurimum eligant; ut in *Conc. Trident. de Sacram. Ord. can. 8. sess. 25.* Et ad hoc est *Regula 2. Cancellaria Apost.* ubi ad tollendas magnas discordias, quæ oriri solebant in Electionibus, Summi Pontifices sibi consueverunt reservare provisiones omnium Ecclesiarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, & Episcopalium: hoc habes in *Glossa Tua.* Modò ad rem

Illi possunt eligere, qui in Ecclesia sunt Canonici, & qui ex præcedentibus actibus elegerunt, c. in *Genes. & c. Ecclesia, extr. eod.* Adsunt enim qui, licet Canonici sint, eligere tamen non possunt, ut furiosi, & majori excommunicatione innodati, c. Si celebrat. de *Cler. excom. c. Constitutus, extr. de Appell. §. illud quæstum, hoc tit.* Præterea non eligunt suspensi per sententiam. §. In *suspensio, hoc tit.* Nec hæretici,

retici, cum debeant separari à cæteris Christianis, *c. Miramur. 2. q. 1. c. fin. 9. q. 1.* Uterius Laici non admittuntur ad eligendum. §. *Laicis. hic.* Quinimmo nec constituti in minoribus. §. *Sed neque. hic. Clem. Ut hi. de atar. & qual.* Verum enim est, quod si sint Patroni possunt intervenire ad juvandam electionem, permittente potissimum Pontifice Maximo, *cap. Quia propter. cap. Massana. ext. eod.* ita notatum est in *c. Nobis. extr. de Jure Patron.* His adde, Impuberes, Absentes, Interdictos, & eos, qui scienter indignos eligunt, & alios, qui ex justa causa à Superiore prohibentur, notat *c. Cum inter. c. Cum in const. extr. eod.*

Quò ad Secundum: Regulariter, qui non habet electionem activè, nec habet passivè: Hinc existentes in minoribus, Furiosi, Pupilli, Suspensi, Hæretici, & similes non eliguntur. His adjiciuntur non servantes interdictum, *cap. 1. de Postul.* Item nati ex illegitimo coitu, *d. c. Cum in cunctis.* Item eligentes indignum scienter, per triennium eligi non possunt. Si de Episcopis agitur, debent eligi, qui sunt corpore integri, & vitæ innocentia profulgeant, & annum trigessimum agant. §. *oportet. hic cum seq. & d. c. Cum in cunctis. & c. 1. & per tot. 36. dist.* Insuper Neophiti, illi scilicet, qui de recenti Sacræ Religionis propositum assumpsere. §. *fin. hic. c. 1. & fin. 48. dist.* Et tandem nostris temporibus ad Dignitatem electionis requiritur, quòd eligendus vel sit Juris Doctor, vel in Theologia, vel saltem Licentiatum, *c. Quicumque. sess. 22. de Reform. in Conc. Trid.*

Quò ad postremum: Electio fieri debet in Ecclesiis Episcopalibus intra tres menses utiles, quòd tempus impeditis non currit, *cap. Ne pro defectu ext. eod. c. Quoniam. de Concess. Præben.* In aliis verò Ecclesiis conceditur tempus sex mensium, *cap. 2. de Concess. Præben. facit cap. Ubi periculum. hoc tit. in 6.* Intra quòd tempus nisi facta sit electio, nec fuerint eligentes legitime impediti, tunc electio devolvitur ad Superiorem. §. *Interdum. hic.* Et si post tres menses, vel tempus statutum fuerit facta electio, est ipso Jure nulla. Glossa tua in *d. §. Interdum. hic.* Sicut & erit nulla, quando est facta contra formas traditas, *d. §. Interdum.* Sed tamen est differentia inter hunc, & alium casum, quia in priori casu est ipso Jure nulla; in secundo verò venit annullanda per sententiam; ut not. in *d. cap. Quia propter. vers. priventur. ext. eod.* Et circa primum casum est textus in *c. licet. & c. fin. ext. de supplend. neglig. Prælator.*

TIT. VIII.

De Postulatione Prælatorum.

Visum est suprà de ordinario modo, quo Prælati ad regendas Ecclesias vocantur, nunc est videndum de modo extraordinario: Et pro expositione tituli videbimus:

1. Quid sit Postulatio?
2. Qui possint postulare?
3. Qui possint postulari?
4. Apud quos fiat Postulatio?

Quo ad Primum; Postulatio est quædam extraordinaria via, qua providetur Ecclesiæ, & illius, qui eligi secundum Juris dispositionem minime potest in Prælatum à Capitulo, quòd eligere potest, concors facta petitio. Vel secundum

dum Goffredum in *tit. de Postul. Prælat.* Est gratia petitio: ut cum ex gratia petitur, ut aliquis eligi possit, qui alias videtur inelegibilis, *c. 1. & ibi not. de Postul. Prælat. lib. 6.* Et duplex est Postulatio: Alia *solemnis*, quæ petitur ab eo, qui omne potest tollere impedimentum: *Non solemnis*, si ab inferiori fiat. Abb. in *cap. 1. num. 24. de Postul. Prælat.*

Quò ad Secundum: Regula est Generalis, eos posse postulare, qui possunt eligere, dummodo postulatio fiat unanimi voce, quæ electionis vim habeat, *c. Cum inter Canonicos. ext. de Electione.*

Quò ad Tertium. Regula itidem est Generalis, eos esse postulandos, qui alias minime eligi possunt, dummodo electio non impediatur propter animi, vel corporis vitium, sed ob aliud defectum. §. *sciendum. hic. Abb. in cap. fin. ext. eod.* Et sex videntur persone, quæ postulantur: Archiepiscopus ad alium Archiepiscopatum, *cap. Bona de Postul. Prælat.* Episcopus ad alium Episcopatum, *c. Etsi unanimiter. de Postul. Prælat. §. Episcopis. hic.* Clericus in minoribus constitutus. §. *ex hoc apparet. tit. eod. c. Præterea. de atar. & qual. Laicus c. Episcopus. 65. dist.* Illegitime natus, *c. Innovit. extr. de Elect. d. §. ex hoc apparet.* Et non habens legitimam ætatem, *c. Cum in cunctis. de Elect.* His exceptis alii dicuntur eligi, non postulari, *c. Si Abbatem de Elect. in 6.*

Quò ad Quartum: Quotiescunque postulatur Clericus alterius Diocesis, & Laicus, qui inelegibilis sit, fit postulatio apud Summum Pontificem, *cap. Cum ad nostram. c. Officii. de Elect.* Id tamen est necessarium, ut interveniat scientia Episcopi, in cujus Diocesi postulatus eligitur, *c. Præternitatem. 72. d. cum c. seq.* Effectus autem postulationis est, ut ea admittat, debeat postulationem Superiori admittere, in quo casu habetur pro electo, & confirmatur, *c. Gratium. de Post. Prælat.*

TIT. IX.

De Confirmatione Electionis.

Quoniam electio sine confirmatione administrationem non habet, idcirco nunc de confirmatione electionis tractatur: quare videbimus

1. Quid sit Confirmatio?
2. Quæ in Confirmatione sint necessaria?
3. Intra quòd tempus fieri debeat?
4. Qui sint effectus Confirmationis?

Quo ad Primum. Confirmatio potest dici habitus, seu corroboratio Juris prius obtenti, *cap. Inter dilectos. de fid. Instrum. Goffr. in tit. de Confirm. util. vel inut.*

Quo ad Secundum. Requiritur in primis, ut sequuta electione, eaque ab electo cognita, consensus ab ipso electo præstetur, *cap. Cupientes. §. cæterum. de Electione in 6.* Secundo ut petatur Confirmatio à Summo Pontifice, vel à Legato de Latere secundum notata in *c. Si Abbatem. de Elect. in 6.* Tertio causæ cognitio, quæ continet vitam electi, mores, examen, Inquisitionem. §. *Is autem. hic.* quæ debet fieri in loco, ubi electus est conversatus, *c. Postquam. & Gloss. ibi de Elect.* Quarto ut petatur intra terminum statutum; scilicet intra tres menses. §. *eadem. hic.* Quo tempore transacto, nisi confirmationem petierit, electio erit penitus irritanda, *d. §. eadem.* An autem electus privetur per sententiam, an ipso jure? dic ut plenè habetur in *c. Quam sit. de Elect.*

in 6. Et scias, quod si transacto tali tempore, electus obtineat confirmationem, non valet, quod actum est, nec potest tenere Episcopatum, & peccat retinendo fructus, quos non facit suos, nisi scienter fuisset facta per illum, qui alias suo jure conferre potuisset: facit ad hoc, quod not. in cap. Cum bona, de arat. & qualir. ordin. & d. cap. Quam sit. Quinto ut citentur illi, quorum interest, quæ citatio fit propositis edictis ad fores Ecclesiæ, in qua electio est facta, c. 1. de Postul. §. illud, hic. Et hoc fit eo quia si quis velit opponere, hoc possit facere, & terminus ad comparandum assignatur in ipsis edictis, quo elapso veniens non auditur, d. §. illud, nisi quis per calumniam opponere veller, quo casu puniretur, c. 1. §. fin. c. Si forte, de Elect. in 6. Et hæc locum habent, etiam si quis fuerit Postulatus.

Quo ad Tertium. Postquam electus scit electionem, debet Romam contendere, & intra tres alios menses confirmationem petere, ut supra dixi, quod nisi fiat evanescit electio, ut supra. Id tamen est verum, quod si infirmitas, vel longum iter, vel aliud justum impedimentum interveniat, Juris rigor remittitur. Id etiam monendi sumus, sat esse petenti confirmationem intra terminum statutum, iter arripere, vel confirmationem petere, etiam si ipsam non obtineat, ut not. in d. c. Quam sit, & d. c. Cipientes.

Quo ad Quartum. Primus effectus est, quod tribuit plenum Jus, quod habitu ante compete- bat, nisi quis esset remotus longè ab Urbe Romæ, ac damnosum esset Ecclesiæ, si Prælatum non administraret, namque iste præfentialiter non tenetur confirmationem petere, ut recipere, sed personas mittit idoneas, per quas diligens in- quiritio habeatur, c. Nihil, extr. de Elect.

Alter est effectus, quod per confirmationem dicitur contractum matrimonium spirituale inter electum, & Ecclesiam, c. Inter corporalia de Translat. Prælat. Et confirmatione obtenta potest electus omnia, quæ sunt Jurisdictionis, ut clericos corrigere, judicare, excommunicare. Non autem potest ea, quæ sunt ordinis, nisi accedat consecratio, cap. Sicut, §. Præterea, de Elect. §. fin. hoc tit.

TIT. X.

De Consecratione.

AD hoc ut Prælati ea possint, quæ sunt ordinis, necessaria est Consecratio; idcirco de Consecratione tractatur; & videbimus:

1. Quid sit Consecratio?
2. Qui consecrari debeant?
3. Qua in Consecratione solemnitas sit adhibenda?
4. Intra qua tempora facienda sit?
5. Qui vocandi sint ad Consecrationem?
6. Qui sint Consecrationis effectus.

Quo ad Primum. Illud in primis sciendum est, Verbum Consecrari referri ad Res, & ad Personas.

Primo modo est aliquid Deo adjicere, l. Si quando, C. de Bonis Vacant, lib. 10. §. Sacra. Inst. de rer. divis.

Secundo modo est personas Deo dicere, atque vovere, c. Pudenda, 24, qu. 1. At secundum materiam Tituli nostri Consecratio est solemnitas quadam, quæ de persona electi fit per sacri Chrismatis delineationem, Benedictionem, manus impositionem, ac Sacrorum lectionem, qua

Doct. Clericati Tom. II. Lib. VIII.

electus una cum Ecclesia, ad quam admittitur, novissime Deo dicari, atque adjici dicitur, & videtur. Etenim consecratio fit res actu particularis Ecclesiæ; ut not. Abb. in c. Inter corporalia, de Transl. Episcopi. De hac solemnitate est text. in §. fin. hic, & est text. in c. Episcopus, 63. d.

Quo ad Secundum. Consecrantur non solum Episcopi, Archiepiscopi, sed etiam Summi Pontifices, qui post electionem legitime factam a Cardinalibus Episcopis consecrantur. Bal. in l. directis, num. 2. C. de Test. manumiss. Dicitur etiam Imperatorem consecrari; sed improprie, quoniam consecratio Imperatoris non est ordinis, prout est consecratio Episcopi, sed est quædam solemnitas, quæ observatur in traditione aureæ coronæ, quæ Romæ fieri debet Pontificis manu, & Consecratio dicitur; ut in c. 1. §. unde, extr. de Sacra. Unct. Ubi de differentia inter consecrationem Episcopi, & Imperatoris tractatur. Consecrantur & Virgines Deo dicatæ, sed de his alibi tractabimus. Fit autem consecratio Episcopi ab Archiepiscopo Metropolitano, & consecratio Archiepiscopi ab Episcopis suis suffraganeis, cap. Quia 64. dist.

Quo ad Tertium. Consecratio fieri debet convocatis personis necessariis Die Dominico, hora tertia, & scrutinio habito cum precibus, & orationibus duo Evangelii codicem super caput consecrandi tenent, manusque imponunt, benedicit unus, & alii consecrandi caput pertingunt, & simul sacro Chrismate manus, & caput delinunt, quibus deinde absolutis jurat Episcopus Sanctæ Sedi, atque Pontifici fidelitatem, c. Significasti extr. de Elect. Abb. in cap. Tua nos, extr. de Jurjurando.

Quo ad Quartum. Consecratio debet fieri intra tres menses, c. Quoniam 100. d. c. Quoniam, 75. d. c. de Syracusana, d. 28. nisi legitimum superfit impedimentum; nam plurimum Ecclesiæ interest, ut consecratio fiat; & hinc est, quod si consecratio protrahatur studiosè, protrahentes puniuntur. Concil. Trident. cap. 2. sess. 23. de Reform. Verum per Jura hodierna sex mensium spatium videtur concessum, cap. 9. sess. 7. de Reform.

Quo ad Quintum. Si de Consecratione Pontificis Maximi tractatur, præsentia Episcoporum est necessaria: Si de Metropolitanæ consecratione agitur, debent interesse Episcopi Provinciales, qui suffraganei dicuntur. §. Evocandi, hic, cap. Si Archiep. de tempor. ord. Si de Episcopo consecrando, debent intervenire Metropolitanus, & secum habere duos Episcopos, cap. Episcopi, cap. Provinciales, 64. d. per tot. c. Nec Episcopi, de temp. ordin. Et si forte Provinciales Episcopi propter aliquem casum haberi non possent, vocandi essent Episcopi ex vicina Provincia. §. illud quaestum, hoc tit. c. fin. 65. d. Sed primo loco vocandi sunt, qui sunt de Provincia, qui debent vocationi obtemperare, aut legitimam saltem excusationem asserere, c. Non debet, 65. d. Hoc unum moneo circa Archiepiscopum, quod si ipse legitime impeditus consecrationi interesse non possit, potest in hoc casu vices suas alteri committere. §. Quod si Metropol. hic, c. Quod Sedem, de Offic. ordin. Quod videtur mirabile, quod Archiepiscopus demandet ea, quæ sunt ordinis, & ea quæ sunt meri Imperii, cum exerceatur in consecrando Jurisdictione ex officio nobili ad publicam utilitatem, ut not. in c. Ex qua, de Consecrat.

B

Eccles.

Eocl. vel. Altar. & in cap. Suffraganeis, de Elect. Præterea exigitur, ut fiat scrutinium. *S. fin. hic, c. 1. extr. de scrutin. in ordin. facien.* Professio fidei, *c. Quamquam, d. 23.* & habitus secundum professionem, *c. Sanctimonialis, ead. d. 23.* & professio fidei debet fieri vel Romæ; vel in Ecclesia, ad quam est assumptus, *c. 1. sess. 23. de Sacr. Ord. in Decret. de Reformat. in Concil. Trid.*

Quò ad Postremum; Effectus Consecrationis est, ut post Pallium receptum possit consecratus ea omnia explicare, quæ sunt ordinis, quæ omnia sunt eidem ante consecrationem interdicta: itaut consecratio possit dici medium quoddam, cujus virtute, ea, quæ sunt ordinis, post consecrationem potest licetè demandare, ut supra dixi; & est *text. in d. c. Suffraganeis, cum post confirmationem hoc non possit facere.*

T I T. XI.

De Receptione, & Auctoritate Pallii.

Quoniam ordinarium est, ut potissimum Archiepiscopis Pallium concedatur, ut possint alios Episcopos consecrare, Concilium convocare, & consecrare Chrisma, & alia, ut in *c. Quod sicut. §. super & in fin. de Elect.* ob id nunc tractatur de receptione, & auctoritate ipsius Pallii. Itaque videbimus

1. Quid sit Pallium?
2. Quibus debeatur?
3. A quo concedatur?
4. Quo tempore, & loco?
5. Quæ traditionem Pallii impediunt?
6. Qui effectus ex Pallii traditione procedant?

Quò ad Primum: Pallium hic in principio describitur, ut sit Metropolitanorum insigne Ornamentum, quod de Corpore B. Petri sumitur, ac plenitudinem Pastoralis officii, ac Pontificalis dignitatis designat, *c. Significasti, de Elect. c. Nisi, de Auth. & usu Pall.* Et est quid personale, quod cum persona sepelitur, nec alteri potest commodari. *hic, in §. sed eo nec semper & c. Ad hoc, ext. de usu Pallii.*

Quò ad Secundum. Inspecto Juris rigore Pallium solis Archiepiscopis, & Patriarchis debetur, sed ex privilegio etiam Episcopis conceditur ex arbitrio Pontificis. *Abb. in Rubr. ext. hoc eod. tit.*

Quò ad Tertium: *Abb. in d. Rubr. ext. eod.* dicit, Pallium concedi solummodo à Patriarchis, & Summo Pontifice Archiepiscopis, & Episcopis: quatenus loquimur de Patriarchis, intellige, quod possunt concedere Pallium illis, qui sunt in sua dictione: sed tamen ordinarium est, ut Summus Pontifex Episcopis concedat: ut *Abb. docet ubi supra.*

Quò ad Quartum: Archiepiscopus, vel Episcopus Pallio utitur in sua Diocesi tantum, & solemnibus diebus, ut hic in *§. sed eo.* Et enim Summus Pontifex in signum Supremæ Authoritatis quocumque tempore, & loco Pallio uti potest, *c. Cum sis, & c. Ad honorem, ext. eod.* Item solum intra suam Provinciam illo uti debet, *d. c. Cum sis,* & in Missis Solemnib. namque in Processione eo non potest uti, *ibidem.* Sed tamen verum est, quod interdum ex privilegio conceditur, ut possit in aliena Provincia uti Pallio, permittente Primæ ipsius Provinciæ *c. Ex tuar. ext. eod.*

Quò ad Quintum: Objecta crimina electo impediunt Pallii traditionem, dummodo obiciens juret de calumnia, & se inscribat in pœnam tallionis, ut *hic in §. hujus receptio, & in Extrav. Joan. 22. quæ incipit: Militis in communibus.*

Quò ad Postremum: Pallii traditio efficit, ut designetur plenitudo potestatis, *hic in princ. & d. cap. Ad honorem.* Et insuper tribuit nomen Archiepiscopi. *Abb. in c. Suffraganeis, de Elect.* Ac tandem efficit, ut possit Archiepiscopus omnia ea, quæ sunt ordinis, ut supra dictum est.

T I T. XII.

De Vita, & Honestate Prælatorum.

Vidimus quales debeant esse Prælati, qui ad Ecclesias regendas assumuntur, & de his creandis aliqua retulimus, nunc videamus quales debeant esse, postquam sunt in dignitate constituti: Et videbimus,

1. Prælati nomen quos designet?
2. Quid Verba, Vita, & Honestas præferant?
3. Quæ Episcopus facere debeat?
4. A quibus se debeat abstinere?

Quò ad Primum: Prælati nomen propriè eum designat, qui habet Jurisdictionem contentiosam. *Abb. in c. 2. de Jurejur.* Largo tamen modo etiam de Curato alicujus Ecclesiæ prædicatur: *c. Tria, extr. de Cler. egrot.*

Quò ad Secundum: Honestatis verbum ad mores refertur, & ad animi ornamenta, & significat quales debeant esse Prælati mores; at Vitæ nomen præferat actiones, circa quas debent Prælati vitam suam consummare; & hinc dicitur diversam esse vitam Clericorum, & vitam Laicorum, *c. Duo. 12. quest. 1.*

Quò ad Tertium: Debet in primis honestati, & prudentiæ operam dare; namque (inquit *text. hic in princ.*) Qualis erit edificatio discipuli, si se Magistro intelligat esse præstantiorem? concord. *c. Debet. d. 96. & c. Qualiter. 8. quest. 1.* & alibi dicitur, quod Magistri moribus, scientia, & facundia debent alios præcedere, *l. Magistros, C. de Prof. & Mag. lib. 10.* Et talis erit Magister, cujus comparatione discipuli paleæ dicantur, *cap. verum, §. criminis. 25. d.* Undè inquit Glossa, quod quidam discipuli nimis festinant ad Cathedram, & dum delectantur in loco gloriæ, fiunt aliis auctores ruinæ, *c. Quoniam 78. d.* Magister enim facit Cathedram, non Cathedra Magistrum, *cap. fin. 40. d. concord. text. in c. Nemo. 81. d.* Deindè debet esse hospitalis, liberalis, ac pius, *§. sed nec utramque hic.* Insuper sobrius, prudens, non solum litterarum, sed negotiorum, *c. Acrapula, ext. eod.* Rerum suarum curæ moderatè debet incumbere, *c. Donare. 86. d.* Et dum corrigit peccata, Clementiam justitiæ admisceat, *§. ab improb. hic, c. prodest. 23. quest. 5. c. Odio. 86. d.* Debet etiam Orationibus, Divinis Officiis, Prædicationibus incumbere, *§. in primis, hoc tit. cap. Si rector. d. 43.* Sacris litteris studere, *c. Qui Ecclesiasticus. 36. d.* Perversos ejicere, corrigere, emendare, *c. Inferior, c. Facientis. 86. d.* Habitu decenti incedere. *c. Clericus 41. d. c. Quoniam, de Vit. & Hon. Cler.*

Quò

Quò ad Postremum: Debet Episcopus se à secularibus negotiis abstinere. §. *sicut hic*. Tametsi negotium esset honestum, ut puta exercendo artem Physicam, vel Chirurpum; ut per Abb. in c. *Sententiam*, ext. *Ne Cler. vel. mon.* & hoc in Clericis etiam. Excipiuntur tantum aliqui casus ut in c. 1. §. *fin. ext. de Postulat. Præl.* Possunt enim Clerici postulare in propria causa, & suæ Ecclesiæ, & pro miserabilibus personis, si ipsæ per se non possint suam tractare causam. Item debet abstinere se à conversatione mulierum, etiam si sint consanguineæ. §. *Pudicus*, hoc tit. Quod declaratur, si istæ sint suspectæ, c. 1. *de cohob. Cler. §. mul.* Et demum debet honestatem servare in quacunq; actione, & à quacunq; suspectione vacare. Insuper Episcopi, & alii Prælati Ecclesiasticis officiis mancipati non debent habitus nimis luxuriantes induere; morum enim intrinsecam honestatem per decentiam habitus extrinseci debent induere, d. §. *Pudicus*. Cætera videnda sunt in tit. *de Vit. §. Hon. Cleric.* & apud Pacem Jordanum d. tom. 1. lib. 1. ubi per novem integros Titulos explicat virtutes, quibus Prælati præfulgere debent.

T I T. XIII.

De Officio Archidiaconi.

Cum actum sit de iis Prælati, qui Jurisdictionem habent; cum inter illos Archidiaconus possit numerari, quia Vicarius Episcopi dicitur, ideo nunc de Officio Archidiaconi tractatur; & pro hujus tituli expeditione videbimus.

1. Quis sit Archidiaconus?
2. Quæ sit Archidiaconi Jurisdictio?
3. Quale sit Officium ejus?

Quò ad Primum: Archidiaconi nomen præferet Principem, seu caput Diaconorum; & potest dici Vicarius Episcopi, à lege constitutus, qui post Episcopum est omnium major, ut *hic in prin.* Et hinc dicitur oculus Episcopi. c. *Diaconi*. 1. §. c. 2. 93. d. c. *Ad hæc*, ext. eod. tit. Debet enim Episcopus per eum administrare suam Jurisdictionem, d. c. *Ad hæc*.

Quò ad Secundum: Maxima est de Jure Communi Archidiaconi Jurisdictio. Etenim ad eum spectat Clericorum correctio, & emendatio, licet non possit excommunicare sine Episcopi licentia, c. *Archidiaconis*, ext. eod. §. *fin. hoc tit.* Præterea examinat præsentandos Episcopo pro ordinatione, tametsi ordinare non possit; ponit Abbates, & Abbatissas in sede, c. *Ut nostrum*; ext. eod. Visitat Ecclesias, & Parochias, si Episcopus sit impeditus, e. 1. c. *Mandamus*, ext. eod. & in Conc. Trident. sess. 24. c. 3. *de Reform.* Insuper in Choro post Episcopum primum habet locum, ut not. in d. cap. 1. Ad tamen est verum, quod non potest ardua negotia explicare, vel causas Matrimonii, aut Concubinatus, quemadmodum nec causas criminales, c. 20. sess. 24. c. 14. sess. 25. *de Reform.* in Conc. *Trid.* Sicut non potest suspendere, vel deponere, c. *Significasti*, §. c. *Cum satis*, ext. eod. tit.

Dist. Clericati Tom. II. Lib. VIII.

Quò ad Postremum: Ad Officium Archidiaconi spectat, curam habere Clericorum, qui in Diocesi degunt, c. 1. ext. eod. Lectorem Evangelii eligere, disponere necessaria ad Sacrificium, Clericos ad ipsum vocare, & quo ordine procedere debeant jubere. Insuper ad ipsum spectat cura sacrorum vasorum, vel sacrorum vestimentorum, c. *Ea quæ*, ext. eod. & notatur in c. 1. extr. eod. Off. *Sacristæ*.

T I T. XIV.

De Officio Archipresbyteri.

Quoniam Archipresbyteri officium est valde simile officio Archidiaconi, ut *hic in princ.* licet Archidiaconus in Jurisdictione excedat, non autem in ordine, c. 1. c. *Officium ext. eod.* ob id nunc de officio ipsius Archipresbyteri tractatur: & pro hujus tituli expositione videbimus:

1. Quis sit Archipresbyter?
2. Quot sint species Archipresbyterorum?
3. Quæ ad ejus officium pertineant?

Quò ad Primum. Archipresbyter est caput Presbyterorum, & est ille, qui in divinis, & particularibus Ecclesiis est à Lege Episcopi Vicarius constitutus, c. 1. extr. *de Off. Archipr.* Et differt ab Archidiacono, quia Archidiaconus curam exercet fori contentiosi; Archipresbyter verò curam Ecclesiastici fori exercet, *hic in princ.* & *dic. Officium*. Verum admonet c. 1. eod. in hoc esse observandas loci consuetudines; namque potest esse, ut in aliis Ecclesiis Archipresbyter exerceat utriusque fori curam; & hoc idem dicit Abb. in *de cap.* 1.

Quò ad Secundum: Dux sunt Archipresbyterorum species: *Urbani*, & illi sunt, qui dum Episcopus abest, in urbe ipsius vicem substituent; vel etiam præsentis Episcopi curam minuunt. §. *Urbani*, hoc tit. d. c. *Officium*. *Exteri*, sive *Foranei*; & sunt illi, qui extra urbem personam Episcopi repræsentant, & ea peragunt, quæ ipse Episcopus efficeret, si præsens esset, c. 1. §. 2. ext. eod. & ut inquit *text.* in c. *Presbyteri*, eod. tit. præfunt plebibus, ut Episcopus Matræ, quæ est Ecclesia, quamvis nihil contra sui Præsulis decretum ordinare, vel audere debent.

Quò ad Ultimum: Ad Archipresbyterum pertinet inchoare solemne officium, & solemnia sacrificia; assidue in Ecclesiis stare, fratres benedicere, pœnitentiam Sacerdotibus injungere: infirmos oleo perungere, benedicere absente Episcopo Clericos, dum Episcopus celebrat, adjuutores eligere, d. c. 1. 2. 3. ext. eod. Insuper providere debet, ut in Sacratio Sanctissimi Corporis Christi Hostiæ pro infirmis non desint. Alia connumerantur, quæ ad Archipresbyterum spectant in d. cap. 1. 2. 3. Et hæc pertinent ad Urbanum.

Ad Ruralem autem, seu exterum tantum pertinet totius populi curam habere, aliorum Clericorum mores inspicere; exponere, quæ in Missa leguntur, prædicare Christianæ Religionis, & fidei principia: pueros edocere, frequenter celebrare, ad Synodum procedere, dies festos prædicare, baptizare, ac demum decreta à Summo Pontifice, vel Conciliis facta

recipere, cæterisque referre; ut in Conc. Trid. sess. 5. c. 2. de Reformat.

Nota tamen hic in fine, quod obtinens aliquam Præposituram debet ad eam se ordinare intra annum, aliàs amittit honorem.

T I T. XV.

De Officio Vicarii.

Vilsum est Superiori titulo de Officio Vicarii à Lege constituti, nunc videndum est de Vicario, & Officio Vicarii ab homine deputati; & sic tractatur de eo, qui nomine alieno in Ecclesiis deservit: sic continuat Gloss. hic & videbimus

1. Qui sit Vicarius?
2. Que requirantur, ut quis Vicarius esse possit?
3. Que sit Vicarii potestas?

Quò ad Primum: Vicarius ille est, qui alterius vices gerit, sive in contentiosa jurisdictione sit, sive in voluntaria, & non contentiosa, illius mandato, & autoritate constitutus, qui in officio, quodcumque illud sit, principalem personam gerit, l. 1. C. de Offic. ejus qui vicem alt. & ext. eod. per tot. Et duæ possunt Vicariorum constituti species; alii enim constituuntur Vicarii in Officio non contentioso, veluti in Ecclesiis, ut in ipsis deserviant, c. 1. ext. eod. Alii vero, ut alterius personam in foro contentioso sustineant. Quinimmo quidam sunt Vicarii per modum provisionis, qui in locum mortuorum subrogantur, & suffecti vocantur. Gloss. in l. 2. vers. Rector., C. d. Off. ejus, qui Sc. c. 18. sess. 24. de Reformat. in Conc. Trid. Item alii sunt perpetui, alii temporales: Primi eliguntur, ut perpetuo sint in aliqua Ecclesia, cap. Perpetuus, de Fid. Instrument. Secundi ad tempus tantum, c. Extirpanda de S. quia verò, extr. de Præb. c. Pervenit. de Appellat.

Tertia divisio est, quod quidam sunt perpetui, qui ad Parochiales Ecclesias sunt electi, d. c. Perpetuus. Quidam temporales, qui ad tempus, & aliquos actus assumuntur, d. c. Pervenit. Quidam Generales, qui in Episcoporum Curia ab Episcopo sunt electi. Gloss. in Clem. Quæ in Ecclesiis, de Offic. Vicarii. Quidam Speciales, qui ad Curiam, sed ad certum articulum, locum, vel actum sunt constituti, c. Sua, de Off. Vicarii.

Quò ad Secundum. Primo loco necessarium est, ut sit Clericus, cum Laici Vicarii esse non possint in Ecclesiis, c. Innova. 17. quest. 7. c. Decenter. d. 89. Quinimmo si agitur de Ecclesia habente aliarum curam, debet eligi Sacerdos, & canonicè institui cum certa portione. Glossa in c. Provideas, ext. eod. d. c. 16. sess. 24. Insuper, exigitur, ut unam habeat Vicariam tantum, d. c. Provideas. Ac Doctor quandoque esse debet, c. 16. sess. 24. in Conc. Trid.

Quò ad Ultimam: Si de eo querimus, qui in Ecclesia deservire debet, ad ejus potestatem pertinent, quæ principalis poterat persona: quod tunc habet locum, quando Vicaria conceditur, quæ solum ex causa concedi solet, d. c. Provideas. Ubi Gloss. Si de Vicario Ge-

nerali Episcopi loquimur; is potest in foro contentioso causas dirimere, & omnia illa facere, quæ Episcopus; nisi aliquid fuerit Episcopo reservatum, ut Beneficiorum collatio, remotio, & alia hujus generis, prout late demonstravi in meis Discordiis Forensibus De Jurisdictione Discord. 27. Insuper Vicarius potest examinare illos, quibus sunt beneficia concedenda, & etiam examinatos eligere, c. 18. sess. 24. de Reformat.

Hoc tamen sciendum est, quod cum Vicarii, & Episcopi unum sit tribunal, ad Archiepiscopum provocatur. S. fin. hic. Quod secus est in Vicario à Lege constituto, ut Archiepiscopus, c. Romana. De appellat. in 6.

T I T. XVI.

De Coadjutore.

Quoniam interdum Episcopalis cura per Coadjutorem explicatur: ob id nunc de eo dicitur, & videbimus:

1. Quis sit Coadjutor?
2. Quibus detur?
3. Ex quibus causis?
4. A quo?
5. Que sit Coadjutoris potestas?

Quò ad Primum: Ut nomen indicat, Coadjutor significat eum, qui simul adjuvat, quasi simul adjutor; & dicitur ille, qui à S. Sede, consentiente, & approbante Rectore, in locum ejus, qui ex justa causa impeditur, ad Ecclesiam regendam cum spe futuræ successione, eligi solet, c. Ex parte, ext. de Cleric. agrot. c. Unico, de Cler. agr. in 6. Et illi Coadjutores esse possunt, qui possunt esse Ordinarii, cum eligantur cum futuræ successione, arg. c. Qualiter, cum seq. 7. quest. 1.

Quò ad Secundum: Coadjutor datur, legitima præcedente causa, tam majoribus, quam minoribus Prælatibus, & non solum unus, sed etiam interdum duo dari solent. Gloss. hic; S. in d. c. Un. de Cleric. agrot. lib. 6. Id tamen est verum, quod si quis datur Episcopo, unus est, & consecratur; ut omnia possit, quæ sunt ordinis, & Jurisdictionis, d. c. Qualiter, cum seq. 7. quest. 1.

Quò ad Tertium: Coadjutor non conceditur ex omnibus causis, sed ex iis tantum, quæ delictum Prælati non includunt; & ipsum inhabilem efficiunt ad Ecclesiam regendam; ut est senectus, longa infirmitas, mentis alienatio, vel similis causa, ut in d. c. Un. S. in d. c. Ex parte, & est text. hic. in princ. Similiter si Prælati sit illiteratus, sed bonæ vitæ, vel longè adfuturus pro S. Sedis beneficio, Coadjutor dari solet, ut in d. c. Unico, & in c. 6. sess. 21. in Concil. Trid. de Reformat.

Quò ad Quartum: Regulariter concessio pertinet ad Summum Pontificem, & est de Reservatis Papæ: hic in princ. & est Glossa in Verb. Apostolicam, c. 7. sess. 25. in Conc. Trid. Ita ut non valeat consuetudo in contrarium, text. tuus hic.

Quò ad Ultimam: Si Coadjutor est datus ob impedimentum, quod Prælatum inhabilem reddit, illa potest facere, quæ potest Ordinarius. Quod si est datus Coadjutor ex aliquo accidenti, tunc Spiritualia pertractat, in aliis vero

verò Ordinario est potestas reservata, c. De
Recloribus, ext. de Cleric. agrot.

TIT. XVII.

De Corepiscoporum usu sublato.

Cum inter Episcoporum officiales Corepiscopi adessent, idcirco, ut, quod antiquitus in usu erat, intelligatur, iste titulus subijcitur: & videbimus:

1. Qui essent olim Corepiscopi?
2. Quale antiquitus esset ipsorum Officium.

Quo ad Primum: Corepiscopi antiquitus dicebantur Prælati illi, qui mediam quandam dignitatem inter Episcopum, & Presbyterum obtinebant; & una cum Episcopis Ecclesiarum curam habebant, qui postea fuerunt sublati, c. Ecclesis semel, & ibi not. & cap. Quamvis, cum seq. 63. dist.

Quo ad Secundum: Corepiscopi quasi Episcopi se habebant, & Ecclesiam cum Episcopis gubernabant, conferebant ordines minores, sed non alios; erat enim eis interdicta Presbyterorum, Diaconorum, Virginum, & Ecclesiarum consecratio: ut not. in cap. Quamvis, d. 68. Prædicabant, & Corpus Dominicum conficiebant, d. c. Quamvis, & est Gloss. hic. Vide Eminentiss. Cardin. de Lauræa in Epitome Canonum. Verb. Corepiscopi.

TIT. XVIII.

De Translatione.

Hic titulus continuatur ad præcedentem in §. fin. supra tit. prox. Tamen sic etiam potest continuari. Visum est hucusque de ingressu, & progressu Prælatorum, nunc de egressu videndum est: & quia egressus fit per Translationem, Renunciationem, aut Depositionem; proinde de his omnibus videndum est. Et primo de Translatione, de qua videbimus:

1. Quid sit Translatio?
2. Cur inventa?
3. Que sint in Translatione necessaria?
4. In quibus Ecclesiis permittatur?

Quo ad Primum: Licet Translationis nomen sit Genericum, & ad plura adapretur, tamen secundum naturam Tituli nostri significat commutationem Prælati de Sede ad Sedem canonicè factam; itaut dici possit transitus de una ad aliam Ecclesiam canonicè factus; Arg. cap. Mutationes. 7. quest. 1. c. Cum Univerforum, de Rev. Per. mut.

Quo ad Secundum: Dux sunt causæ, cur inventa sit Translatio: Utilitas, & Necessitas, text. est hic in princ. c. Sicut vir, c. Episcopus. 7. quest. 1. cap. Non oportet. 19. & c. Placuit. 21. eadem. 7. quest. 1. Utilitas, quotiescumque quis creditur utilior in Ecclesia, ad quam transit, quam in illa, quam habet; & vocatur ad aliam Ecclesiam, ut doctrina, & vitæ integritate majorem afferat populo utilitatem, c. omnis, d. c. Episcopus. 7. quest. 1. Sic. Anno 1664. Eminentiss. Cardin. Gregorius Barbaricus translatus fuit per Alex. Papam VII. ab Ecclesia Bergomen. ad hanc Patavinam. Necessitas autem Translationem inducit, quotiescumque per bellum, & hostium obsidionem Prælatus unius Ecclesiæ in aliam se transfert,

c. Temporis. 7. quest. 1. qui necessitate cessante tenentur ad priorem Ecclesiam redire. §. 1. hoc tit.

Quo ad Tertium: Ut translatio fieri possit, necessarius est consensus Superioris. Item antiquitus requirebatur consensus Capituli, quod elegerat. c. Præcipimus. 12. quest. 1. Tercio consensus ipsius Prælati, nisi ob bonum commune à Summo Pontifice transitus, & Translatio præciperetur, d. c. Omnis. 7. quest. 1.

Quo ad Postremum: In omnibus Ecclesiis potest fieri Translatio: sed si agitur de Episcopis, solus Summus Pontifex jus habet transferendi. §. Sciendum, hoc tit. c. Quod Translatio nem, & ibi Gloss. extr. de Offic. Legat. Si verò tractetur de minoribus Ecclesiis, & Prælatis, seu Sacerdotibus ordinariis, Episcopi auctoritas exigitur. §. Non ab similibus, hoc tit. ita notatur in c. Quanta, ext. eod. nisi fortè Prælatus minor esset Summo Pontifici subiectus immediatè, c. Cum venerabilis, de Consuetud.

TIT. XIX.

De Renunciatione.

Cum actum sit de primo modo, quo dissolvitur dominium inter Ecclesiam, & Rectorem, nunc de Secundo, scilicet de Renunciatione differitur, videamus igitur.

1. Quid sit Renunciatio?
2. Qui possint Renunciare?
3. Que requirantur in Renunciatione?
4. Que sint cause legitime Renunciationis?
5. Qui sint Renunciationis effectus?

Quo ad Primum: Renunciatio est proprii Juris spontanea refutatio, hic in princ. Si enim esset coacta, revocaretur, c. 2. & c. Super de his, que vi, met. ca. fiunt.

Quo ad Secundum: Regula generalis est constituenda; Omnes posse Renunciare servatis servandis: & non solum minores, sed etiam majores Prælati Renunciare possunt, illis exceptis, qui fortè in furorem incidissent, c. Quamvis. 7. quest. 1. Undè etiam Papa potest Renunciare Papatui §. de Romanis, hic, c. 1. de Renunciat. in 6. prout fecit S. Petrus Celestinus. Et non solum quis per se, sed etiam per Procuratorem potest Renunciare; itaut si Procurator, antequàm revocetur, sine dolo renunciaverit, teneat Renunciatio. Clem. univ. eod. tit. De renunciat.

Quo ad Tertium: Hæc requiruntur. Primo ut sit spontanea, ut supra dixi. Secundo ut fiat de proprio, & obtento beneficio. c. Pen. de Re jud. c. Dilecto, de Præbend. Tertio ut fiat simpliciter & purè, non lucrandi animo, c. Qui suadet. 1. quest. 1. c. Tua, de Simon. Quarto ut fiat ex legitima causa, c. Nisi. §. unum, ext. eod. Quinto ut fiat cum Superioris licentia. §. Abbas, hic. Undè Prælatus, qui Romano Pontifici immediatè est subiectus, ab ipso debet impetrare licentiam; quod si is, qui renunciat, Episcopo sit subiectus, cum ejusdem Episcopi permissione fiat Renunciatio, concord. text. in c. Quod in dubiis, ext. eod. Atque tandem requiritur, ut de ea conficiantur acta, d. c. Quamvis, c. Fin. c. Sicut vir. §. Ecce. 7. quest. 1.

Quò ad Quartum: Sex sunt causæ legitimæ renunciandi. Conscientia Criminis: Corporis debilitas: Defectus scientiæ: Malitia plebis: Grave scandalum: & Irregularitas personæ, *d. c. Nisi, & in tit. in princ.*

Prima, si sit crimen tale, propter quod officii executio, etiam post exactam pœnitentiam impediatur, ut Simonia. *1. q. 1. cap. Simoniacos, & cap. Tanta, de Simonia.* Item Homicidium, *c. Fin. de Temp. Ordin. & c. Minor. d. 50. & cap. Inquisitionis, de Accusat.* In aliis verò criminibus, de quibus potest pœnitere remanendo in officii administratione, non tenetur quis petere cessationem. *§. propter, hic, & c. Nisi, eod.* Secunda, si impedit administrationem. *§. Non absterilis, hoc tit. d. c. Nisi, §. 1.* Tertia, si maximus est defectus. *§. Propter, hic, c. Cum nobis, de Elect. c. Venerabilis, de Præben. d. cap. Nisi.* Quarta, si proficere non potest. *§. Propter malitiam, hic, d. cap. Nisi, §. propter malitiam.* Et in Actis Apostolicis in *cap. 13.* Ubi legitur de Apostolis, qui Judæis incredulis dixerunt: *Ecce convertimur ad gentes, quia Verbi Dei vos indignos fecistis.* Quinta, si maximum scandalum timetur. *§. Propter malitiam.* Sexta si irregularitas sit Bigamiæ; aliàs enim si de legitimo Matrimonio non sit natus, cum eo potest dispensari. *§. Item ob, hoc, tit.* Scias tamen, quod quamvis Prælatus, vel Episcopus, qui semel transivit ad vitam Monachalem, non possit amplius fieri Episcopus. *§. Accidit hic, cap. Item cum aliquis, 7. q. 1. & c. Hoc nequaquam, & c. Post translationem ext. eod.* Ut puta si quis convictus est de crimine, & ob id detrudatur in Monasterium, *c. Post translationem ext. eod.* Vel etiam si quis humilitatis causa transivit ad Monasterium, & de licentia Papæ: attamen in quibusdam casibus potest iterum in Episcopatum assumi, ut si quis persecutionis rabie faviente, vel præpeditus adversa valetudine corporis, cum proficere nequeat in regimine Pastoralis, de Superioris autoritate ad monasticam vitam descendat; namque persecutione, aut ægritudinis impedimento cessante ad Episcopalem poterit dignitatem resurgere. *§. Ceterum, hoc, tit. d. cap. Post translationem, §. Ceterum.* Est alius casus in *§. Idem Juris, hoc tit.* nempe si ignarus, in Monasterio acquisiverit scientiam.

Quò ad Postremum: Effectus est, ut sequuta Renunciacione, teneatur Prælatus Ecclesiam dimittere, nec possit regulariter ad ipsam redire, *d. c. Post translationem.* Quinimò si quis impetraverit licentiam renunciandi, renunciare tenetur, *c. Quidam, ext. eod. §. fin. hic.* Vide *d. cap. Hoc nequaquam, & c. seq. 7. q. 1.*

TIT. XX.

De Depositione, seu Degradatione.

Vltimum est de duobus modis, quibus Matrimonium spirituale inter Prælatum, & Ecclesiam dissolvitur; nunc de tertio videndum est, nempe de Depositione: & videbimus:

1. Quid sit Depositio, seu Degradatio?
2. Quot species?
3. Qui possint deponi?
4. A quibus fiat?
5. Quomodo?
6. Ex quibus causis?
7. Ad quid?

Quò ad Primum: Depositio significat actionem factam apud Pontificem sine solemnitate. Degradatio autem est de gradu dejectio, insti-

tuta ad similitudinem exaurationis ejus, qui militiæ deservit armata, cui ob delictum & ordo militaris, & insigne detrahitur. *§. 1. hic, cap. Degradatio, de Pœnis, in 6. l. 1. §. 1. ff. de his, qui not. inf. l. 3. §. pœna, ff. de Re milit.* Et proprie Degradatio est gradus privato, verbis, factoque solemniter celebrata. Depositio verbis tantum, & sine solemnitate, *d. c. Degradatio.*

Quò ad Secundum: Duæ sunt species Degradationis, Verbalis, & Actualis, *d. cap. Degradatio, §. 2. hic.* Verbalis est illa, quæ a proprio Episcopo sibi assistente in Degradatione Clericorum, in sacris Ordinibus existentium, certo Episcoporum numero, definito à canone, est facienda, *hic in §. 2. d. c. Degradatio.* Poterit enim Episcopus in tali Degradatione uti verbis aliquibus illis oppositis, quæ in collatione Ordinum fuere prolata; dicens hæc Presbytero, vel similia verba in Depositione: *Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, te honore Sacerdotali privamus, ut in d. c. Degradatio, & c. Si quis Episcopus, 6. q. 4.* Secunda est, quæ fit, ut exaurationio ejus, qui deservit militiæ armatæ, cui militaria detrahuntur insignia, sicque à militia remotus, castris ejicitur, privatur consortio, & privilegio militari. Etenim Clerico degradando Episcopus singula, siue sint vestes, calix, liber, seu quævis alia, quæ juxta morem ordinandorum in ordinatione ab Episcopo tradita, seu collata sunt, singula auferet, eraso etiam toto capite ipsius Degradandi, *c. Degradatio, hoc tit.*

Quò ad Tertium: Brevis est Regula. Omnes posse deponi, qui gravia delicta patrarunt, ut infra videbimus.

Quò ad Quartum: Antiquitus Episcopi à Metropolitanis deponerentur, duodecim ad minus Episcopis assistentibus, *c. In summa, 3. q. 8.* In Presbytero degradando Episcopus sex aliis Episcopis ad minus præsentibus degradabat, *10. q. 7. c. Felix.* In Diacono, vel Subdiacono tribus præsentibus per Abb. in *cap. Non potest, de Sent. & re jud.* Verum hodiè, si de Episcopo agitur, cognitio pertinet ad Summum Pontificem. Si de Presbytero, iste deponitur ab Episcopo, vel ejus Vicario adhibito certo numero Abbatum, usum mitræ, & baculum habentium, si possint haberi; aliàs adhibeantur Prælati alterius generis. In Conc. Trid. *sess. 13. c. 4. de Reform.* Si de minores Ordines habentibus tractatur, Episcopus est, qui id ex causa facere potest, *d. c. Degradatio, de Pœnis in 6.*

Quò ad Quintum: Ordo traditur in *d. c. Degradatio.* Adducitur Degradandus indutus vestibus sacris coram Episcopo: si est Sacerdos cum Calice in manu, siue aliud, quod ad ejus officium pertinet; & Episcopus singula quibusdam verbis prolatis, detrahit; inchoando ab ultimo ornamento, & continuat usque ad primam tonsuram, in cujus depositionis signum, caput postea eraditur, *d. c. Degradatio.* Legatur Exemplum Degradationis Presbyteri Criminosi factæ cum lacrymis à Sancto Carolo Borromeo in ejus *Vita lib. 7. c. 4.*

Quò ad Sextum: Antiquitus tres notabantur causæ: nempe Hæresis, Falsitas, & Usurarum exercitium, *c. Nolumus, de Verb. Sign. c. Nulli, 44. d. Verum & alix sunt causæ: Frequentia homicidiorum; conversatio continua cum mulieribus post admonitionem, & alia hujus generis, c. Clericus, 81. dist. Vide c. Cum non ab homine, ext. de Judic. Quò*

Quò ad Postremum: Degradatio fit in pœnam Clericorum delinquentium, & ad eos puniendos, c. *Sacerdos*. 81. d. Et sæpè fit, ut possit Judex secularis ipsum Clericum Degradatum punire, licet debeat Judex Ecclesiasticus eum tradendo orare, ne deveniatur ad pœnam sanguinis, c. *Rerum*. 17. q. 4. est *text. in §. Clericus, hic*. Et fit etiam ad privandum Clericum, ne se immisceat amplius in sacris, ut notatur in c. 1. de *Cler. excom.* & ait *text. hic in fine*.

TIT. XXI.

De Sacerdotibus in inferiori gradu constitutis.

Cum usque ad præsentem titulum tractatum sit de Sacerdotibus existentibus in gradu supremo, aut majori, nunc tractatur de his, qui sunt in gradu inferiori: & videbimus:

1. Qui sint Sacerdotes in gradu inferiori existentes?
2. Quæ sit Presbyterorum potestas?
3. Qui possint esse Presbyteri?

Quò ad Primum: Sacerdotes existentes in gradu inferiori sunt Presbyteri, qui æqualiter sunt Sacerdotes in tantum, ut non desint, & c. *Olim*. 95. d. §. *Presbyterorum, hoc eod. tit.* Presbyteri autem nomen trahitur a senectute, c. qui dicant Episcopos, & Presbyteros differre dignitate, non ordine, c. *Legimus*. 93. d. *Quisquis*, c. *Porro*, d. 8. licet potius hoc nomen maturitate sapientiæ, atque prudentiæ indicet, quam canitiem corporis, vel annorum multitudinem. c. 2. 25. q. 6. c. *De quibus* 20. d.

Quò ad Secundum: In hoc capite distinctio est adhibenda: nam Presbyteri quædam possunt jure proprio, ut est Corporis Domini, ac Sanguinis consecrationem, etiam præsentem Episcopo, peragere, d. c. *Legimus*, c. *Ecce*, dist. 95. Infantes baptizare, c. 2. & c. 3. de *Off. Archip.* Sanctificatio oleo inungere, ac benedicere, non tamen solemniter, ut d. c. *Ecce*, & de his vide in d. 91. c. 1. & c. *Presbyteros*, d. dist. 95. cap. *Ministrare*. 96. q. 9. & notatur in c. 2. & 3. de *Offic. Archip.* Penitentes occultos absolvere. *Lois sup. alleg.* & de his loquitur §. *Episcopi, hic*. Quædam verò possunt ex persona Episcopi: scilicet Episcopo permittente, & imminente necessitate extrema, ut Baptizatos sacro linire Chrismate, & Virgines Deo dicare, d. c. *Ecce*, extr. eod. *text. in §. Episcopi, hic*. Quædam tamen neutro modo conceduntur Sacerdotibus, ut est Ecclesias consecrare, erigere, reconciliare, Sacrum Chrisma conficere, Clericos ordinare, excommunicare, publicas injungere pœnitentias, aut publicos penitentes reconciliare; ut in §. *in hoc. tit.* aut alia similia efficere, d. c. *Ministrare*, cap. *Aqua*, de *Consecrat. Eccles.* vel *Alt.* c. *Quanto*, de *Consecrat.*

Quò ad Postremum. Illi possunt esse Presbyteri, & Sacerdotes, qui cum legitime fuerint promoti ad ordines inferiores, dignos se præbuerunt, ut ad sacra ministeria tangenda assumentur. Insuper requiritur, ut per annum Diaconi extiterint, optimisque moribus sint exornati, c. 11. c. 14. *sess. 23. in Conc. Trid.* Ac tandem ut annum vigesimum quintum attingant; ut *sess. 23. c. 12. ejusd. Trid. Conc.*

TIT. XXII.

De his, qui in sacris sunt constituti.

Cum post Sacerdotes reperiantur immediate, qui in sacris sint constituti ordinibus, quinimo Sacerdotes esse non possint, qui factos

Ordines non receperunt, ob id etiam de his tractare oportet; Et pro tituli expeditione videbimus.

1. Sacer ordo qui dicitur?
2. Qui dicantur in sacris ordinibus constituti?
3. Qui sint Diaconi, & Subdiaconi?
4. Qui possint ad hos ordines promoveri?
5. Quæ sit Diaconorum, & Subdiaconorum Potestas?

Quò ad Primum. Sacer ordo dicitur characteris quædam in anima impressio, de Sacramento Corporis Christi participans, qua quis in viam Domini adeo transfertur, ut non liceat ei amplius recedere, c. *Cum ex eo*, de *Elect.* in 6. *Abb. in c. Si quis Clericor.* de *Cleric. conjugatis*.

Quò ad Secundum. Septem secundum aliquos sunt Ordines: Minores quatuor, nempe *Ostiaratus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus*. Majores tres, *Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus*. Sunt, qui etiam adjiciunt Episcopatum ordinem esse majorem: Plalmistatum minorem; sed prior sententia magis recepta est. Erunt igitur in Sacris illi: qui vel Diaconi, vel Subdiaconi, vel Presbyteri sunt.

Quò ad Tertium. Diaconi nomen significat Sacerdotis ministrum, & est nomen dignitatis, c. *Si quis post acceptum*, 51. d. Et Diaconi sunt, qui omnibus ordinibus præter Sacerdotis characterem exornati, Episcopo dum Altissimo sacrificia offert, auxiliantur, c. *Diaconi*, 93. d. Subdiaconi sunt illi, qui præter minores ordines hunc majorem receperunt tantum. c. *A Subdiacono*, d. 93.

Quò ad Quartum. Ad ordinem Subdiaconatus promoveri possunt illi, qui omnes minores ordines receperunt, & vigesimum secundum annum degunt: ut in *Concil. Trid. sess. 23. cap. 12.* Ad Diaconatum verò, qui cæteros ordines obtinuerunt inferiores, & habent annum vigesimum tertium; in Subdiaconatuque persistant per annum, d. c. 12. *cum seq.* Intellige, prædictos annos sufficere incæptos. DD. apud Barboiam d. *sess. 23. c. 12. num. 2.*

Quò ad Postremum. Modica horum auctoritas existit, cum debeant ne dum Episcopis, sed etiam Presbyteris subesse: Et quidem Diaconorum officium est, Episcopum prædicantem ab infidiis custodire, Sacerdotibus assistere, & Evangelium ad populum prædicare, c. *Perlectis*, §. *Ad Diaconum*, 25. d. Ad Subdiaconum verò pertinet Diacono subesse, & ejus officii est, Calicem, & Patenam ad Altare deferre, & Levitis tradere, eisque ministrare; Urceolum quoque, & aquam, mantile, & manutergium tenere, Episcopis, Presbyteris, & Levitis pro lavandis ante Altare manibus aquam præbere. §. *Diaconum*, 1. *hoc tit. d. c. Perlectis*, §. *ad Subdiaconum*.

TIT. XXIII.

De his, qui in minoribus sunt constituti.

Vidimus de his, qui in sacris ordinibus sunt constituti; nunc de his qui minores ordines habent. Et videbimus:

1. Qui sint ordines minores?
2. Qui possint ad hos ordines promoveri?
3. Quæ ad ordines minores pertineant?

Quò ad Primum: Quinque sunt secundum quosdam minores ordines, *Acolythatus, Exorcistatus,*

status, Lectoratus, Ostiarius, & Psalmistatus: & dicuntur minores ordines, quia cum modica solemnitate conferuntur, & sine Sacramentali benedictione, cum quadam vasorum, vel indumentorum distributione. Quinimò Psalmista, qui & cantor dicitur, absque scientia Episcopi, jubente Presbytero, suscipit munus cantandi. §. 1. & 2. in *fin. hic, c. Psalmista. 23. d.* Hic ordo secundum aliquos est prima tonsura, & cum ea confunditur, *d. c. Psalmista.* Hinc est, quòd non desunt dicentes quatuor esse tantum ordines minores, auctoritate *Conc. Trid. c. 17. sess. 23.*

Quò ad Secundum. De hac re adeit titulus specialis, infra de his, qui possunt promoveri, vel non, idcirco tunc temporis de hac re dicitur.

Quò ad Postremum: Ad Psalmistam, ut ab inferiori ordine; seu à dispositione ad ordines incipiamus, pertinet cantare, jubente Presbytero, & ob id cantor etiam appellatur.

Ad Ostiarium pertinet, claves Ecclesiæ tenere, claudere, & aperire; undè nomen est desumptum: fideles recipere, & excommunicatos, atque infideles à templo ejicere, *c. Ordinarium 23. d.*

Ad Lectorem lectiones pronuntiare legendo, ac prædicare, quæ per Prophetas populis fuere prædicata, *c. Lector. 23. d.*

Ad Exorcistam exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos, idest à Dæmonibus obsessos, & Catechumenos imponere, *c. Exorcista. 23. d.*

Ad Acolythum tandem pertinet lumina accendere, *cap. Acolythus. 23. d.*

In fine hujus tituli nota, quòd constituti in majoribus ordinibus nullo pacto matrimonium possunt contrahere; constituti autem in minoribus possunt, sed privantur beneficiis, & dignitatibus Ecclesiasticis. *Conc. Trid. sess. 24. de Sacram. Matrim. Can. 9. & ibi DD. quos citat Barbosa num. 16.*

TIT. XXIV,

Communia tam minorum, quam majorum Ordinum.

Quoniam vidimus ordines, de quibus supra actum est, nulla inter se communia habere, idè de his nunc videndum est: Et examinabimus:

1. Quo modo ista Rubrica sit accipienda?
2. Quæ majores minoribus præstare debeant?
3. Quæ minores majoribus?
4. Quæ verè communia sint?

Quò ad Primum. Rubrica ista debet in eum modum intelligi, ut ea comprehendat, ad quæ tam majores, quam minores ordines habentes tenentur: tum etiam quia ea complectatur, quæ inter habentes majores, & minores ordines sunt explicanda, ut ex infra dicendis præcipue apparebit.

Quò ad Secundum: Majores erga minores debent, se eo modo præbere, ut non quasi se dominos esse putent; sed debent illos, qui sunt in minoribus constituti, ut Clericos honorare, docere; & si respectu majorum ordinum præsent, debent etiam exindè curare, ut eisdem profint. *§. majores, inf. hoc, tit. cap.*

Esto, d. 95. Cur ergo, dicit textus, te habeam ut Principem, cum tu me non habeas ut Senatum? Hoc tamen respicit factum, nam de Jure tollerandus est Prælati usque ad sententiam, *c. Minore 8. quæst. 4.*

Quò ad Tertium: Non debent habentes minores ordines, se quasi æquales habentibus majores ostendere; sed humiles esse debent, & ab eis doceri in his præsertim, quæ ad facta peragenda pertinent; & debent ea tantum assumere, quæ ad propriam personam pertinent, *hic in princ. & c. 1. & ibi not. de Sepult.*

Quò ad Postremum: Illud in primis communiter convenit, tam majoribus, quam minoribus ordinibus, ut ordinandorum inquisitio habeatur circa ipsorum qualitates, patriam, scilicet, parentes, nativitatem, mores, peritiam, fidem, & alia hujus generis. *§. præcedet inf. hoc tit. c. Quoniam, d. 24. & in Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. sess. 14. c. 3. & sess. 23. cap. 1. & c. 7. & c. 12. & c. 14. in Decret. Reform. & in sess. 24. cap. 18.* Præterea illud commune est, ut conferantur ordines gratis, non munere, aut pretio interveniente, *d. c. Quando, & c. Fin. d. 24.* Quinimò hoc casu tam ordinatus, quam ordinans sunt puniendi. *§. ipsi verò, inf. eod.* Tertio commune est, ut minus idonei non admitantur: quoniam sanctus est, paucos habere bonos, quam multos malos ministratos. *§. Item, sup. hoc tit. Abb. in c. Cum sit, de atar. & qualis, c. Tales. 23. d.* Insuper illud commune est, ut ordines conferantur successivè, & ordinatim, aliàs ordinatus per saltum non potest exercere ordinem, nisi interveniat dispensatio, *c. Unico, de Cler. per salt. promor. c. Sollicitudo. 51. d.* Ideò debent ordines statutis temporibus conferri, alioquin & Ordinantes, & ordinati puniuntur. *§. Igitur, cum seq. inf. eod. c. de eo, c. 2. & c. Cum quidam, de Temp. ordinat.* Nota tamen, quòd etiam, quando extra tempora statuta conferuntur ordines, ordinatus recipit characterem, *c. Penult. ext. eod. tit. de Temp. ord.* Et habes simile, quòd puero non est ordinandus ad sacros ordines, si tamen ordinetur, imprimitur character, *c. Vel, non est compos. de Temp. ord. & not. in c. Unico, ext. de Cleric. per salt. prom.* Sic etiam non debet, quis à Judæo, vel Pagano baptizari, baptizatus tamen non est rebaptizandus, *cap. 1. de Summ. Trinit. & fide Cathol. c. Quodam, & c. Romanus de Consecr. d. 4.* Atque tandem illud commune est, ut se immiscentes in divinis sine ordine, ordinibus perpetuo careant. *§. Quod si is, inf. eod. c. Ut quisquis, de Vir. & Honest. Cleric.* Cætera vide in textu. An si nondum baptizatus, fuerit ordinatus, receperit characterem, an verò debeat baptizari, & iterum ordinari? Dic quòd debet baptizari, & iterum ordinari, quia sine Baptismo nullum Sacramentum recipi potest. *§. de eo, hoc tit. & ibi Gloss.* Item An Episcopus solus semper conferat minores ordines, an hoc interdum aliis concedatur? Et hic, quòd minores ordines etiam ab Abbatibus conferuntur. *§. Illud postremò, hoc tit.* Item An Episcopus, qui renunciavit Episcopatu, possit sacros ordines conferre? Distingue; An loco renunciavit, aut etiam dignitati? quæ omnia traduntur in *§. de eo, & in §. seqq. inf. hoc nostro titulo, in fin.*

TIT. XXV.

Qui promovendi non possunt?

Interea, quæ communia sunt, hoc unum potest etiam connumerari, ut ad ordines non promoveantur, qui ex aliqua causa minus idonei evadunt, & ideo ut cognoscantur hi, qui non possunt promoveri, subjicitur iste titulus: & videbimus

1. *Qua causa ordinationem impediunt?*
2. *Qua ex his causis dispensationem admittant?*
3. *Qui possunt dispensare?*

Quo ad Primum. Variæ recensentur causæ, per quas non potest quis ad ordines promoveri. Quinimodò si aliquis promotus est, & in aliquam ex causis infra dicendis incidat, ad Superiores ordines non promovetur, *cap. Fin. 55. §.* Causæ verò istæ sunt *Subjectio, Delictum commissum, Corporis læsio, & Suspicio futuri lapsus.*

Subjectio significat Jus quoddam ab alio habitum in personam ordinandi, quo Jure interveniente, efficitur, ut ordinandus plena libertate non gaudeat. Hinc servus antiquitus non ordinabatur, *c. Consuluit, de Servis non ord.* Quinimodò nec manumissus, quia Patronus aliquid Jus sibi reservabat, *c. Quodcumque, d. 54. §. ratione subjectiois inf. eod.* Et nota, quòd hic Patavii servitutes hominum durarunt usque ad Annum 1200. ut ostendunt *mea Erotemata cap. 133. Quas. 17.* Hinc etiam fit, quòd nec Monachi possunt ordinari, seu ad Ecclesiastica beneficia promoveri sine licentia Abbatis, *cap. Statuimus. 79. quas. 3. §. Monachi, inf. eod.* Hinc etiam prohibitum est Episcopis eos ordinare, qui sunt de alterius Diocesis, nisi habeant licentiam ab Episcopo ordinario, vel ejus Vicario, *c. nullum Episcopum. 9. quas. 2. c. Pen. & fin. de Supplend. negl. Præl. in 6. §. pari ratione, inf. hoc. tit.* Item quando concurrat licentia Episcopi Ordinarii, causa legitima intervenire debet, *c. 11. sess. 7. in Conc. Trid.*

Secunda causa est delictum commissum, quod crimen significat ejus generis, ex quo poena capitalis efflagitari videatur, *c. Si Episcopus. 50. d. c. In memoriam, 19. d.* Hinc si quis ex proposito delictum commississet, (puta homicidium) ordinari non potest: secus si in casu suæ defensionis homicidium perpetrasset. *Clem. unic. de Homicid. §. Patavi, cum seq. inf. eod.* Id tamen verum est, quòd si culpa præcedit casum, ordinatio impeditur, *c. Continebatur, & cap. De cetero, & cap. Dilatus, de homicid.* Hinc etiam poenitentes publici non possunt ordinari, *c. Ex poenitentib. d. 50. cap. 1. extr. d. Bigam. cap. Nullus. d. 55.* Et de poena ferenda publicæ poenitentia vide text. in *c. De his, 50. d. & per DD. in d. c. 1. de Bigam. §. Poenitentes, inf. eod.* Hinc etiam usurarius ab ordinibus repellitur, *cap. Fin. 46. d. cap. 1. c. De Petro, & c. Si quis, d. 47. §. Quod si quis, inf. eod.* Hinc Simoniaci, Fures, & similes personæ ab ordinibus arcentur, *cap. Seditiosarios, 46. dict. §. Idem cum seq. inf. eod.* Quod autem dicitur de furibus nota, quòd quinque intervenientibus potest ordinari fur.

Primum est: Quòd sponte confiteatur.

Secundum: Quòd satisfaciat damnum passio.

Tertium: Quòd egerit poenitentiam.

Quartum: Quòd sit aliàs idoneus.

Quintum: Ut non sit fama aspersum, ut per Abb. in *c. Fin. de Fures.*

Tertia causa ordinationem impediens est corporis læsio, dummodò non modica existat, *c. Fin. de Corp. vitiat.* Quòd ita intelligendum est, si læsio non contingeret in parte non visibili, eo tempore, quo quis intellectu caret, ut puta si quis fuisset viribus membris in infantia privatus, *c. 3. extr. de corp. vitiat.* Id etiam intelligendum est quan-

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VIII.

do membrum adeo est infirmum, ut ad suum munus invalidum esset, veluti si manum quis debilem haberet, ut non posset officio fungi; & idem esset, si membrum esset ejus conditionis, ut deformitatem induceret, *cap. Presbyterum, de Cler. agror.* Est text. in *§. Cavenda, cum seq. inf. hoc. tit.*

Postrema causa est suspicio futuri lapsus, quæ nihil aliud est, quam conjectura ex rationabili causa descendens, qua quis in errores casurus præsumitur. Hinc si quis in lecto jacens infirmus Baptismum susceperit, promoveri non debet, *§. Sed est, inf. eod.* Quemadmodum necre baptizatus, *c. Confirmandum, de Consecration. d. 4. & c. Qui his. §. Scienter, inf. eod.* Hinc prohibentur Presbyterorum filii, & illegitimè nati, quia suspicatur eos posse imitari paternam incontinentiam, *c. 1. & rot. tit. de Filiis Presbyt. §. Presb. inf. eod.* Hinc etiam ab ordinibus Bigami repelluntur, *c. 1. de Bigam.* Et Bigamus dicitur, qui duas habuit uxores, vel unam, sed corruptam, vel qui cum vidua de facto contraxit, namque etiam hoc casu propter affectum voluntatis cum opere subsequuto fit Bigamus, & in consequentia irregularis. Alii dicuntur Bigami interpretativè, ut qui cum vidua, aut corrupta contraxerunt. Item qui unam de Jure, alteram de facto habuerunt. Item ille, qui scienter cognovit uxorem adulteram. Alii dicuntur Bigami propter affectum intentionis cum opere subsequuto, *c. Nuper, & c. A nobis, extr. de Bigam.* Alii propter Sacramenti defectum, ut mariti Viduarum, & corruptarum. Item ille, qui successivè, diversis temporibus uxores habuit duas, & de his omnibus vide Glossam in *c. 1. extr. Bigam.* Et nota quòd in Sacramento Matrimonii triplex designatur Sacramentum. Primum est unio fidelis animæ ad Deum propter dilectionem, & charitatem, & hoc designatur per conjunctionem animorum in ipsa prima desponsatione, dum alter ad invicem consentit in alterum.

Secundum est Unio humanæ naturæ ad Deum, quæ facta est in Utero Virginali per Incarnationem Verbi Dei, & hoc designatur per carnalem comixtionem viri, & uxoris, quòd intellige per ipsum actum consummatum designari hoc Sacramentum.

Tertium est unitas Ecclesiæ, ex omnibus Gentibus collecta, uni viro Christo subjecta; quòd Sacramentum consistit in eo, quòd quis unicum matrimonium servavit, nec cum corrupta contraxit, Clerico postea factò, & ordine suscepto: vide plenius in Gloss. in *cap. Debitum, in Verb. Sacramenti, extr. de Bigam.* Et hoc quòd dictum est de Bigamis, quòd non possunt ordinari, verum est in eo casu, quo quis duxerit uxorem ante Baptismum, & alteram post, *cap. Acutius 26. d.* Sive utramque ante Baptismum, *cap. Una, ead. d.* Et quantum spectat ad irregularitatem Bigamix, notandum est, non censeri Bigamiam, nec Bigamum nisi copula intercedat, fueritque matrimonium consummatum, *c. Debitum, & ibi DD. communiter de Bigam.* Hinc etiam à Dæmone obsessi, vel furiosi, item Scenici prohibentur ordinari, quoniam justè timeri potest, ne in errores delabantur, & materiam scandali præbeant: est *§. Fin. inf. eod. cap. Maritum, d. 33. in fin. & c. Clerici.* Si tamen aliquis horum fuerit promotus, non deponitur, *c. Quamvis. 7. quas. 1. & not. in d. c. Maritum.* Unde etiam quamvis oculo privatus non possit promoveri, attamen si postea talis privatio contingat, retinet ordines, quos habuit. *§. Hac autem, inf. eod.* Quamvis propter scandalum, & deformitatem amittat executionem, *cap. 2. & cap. 3. de Cleric. agror.*

Quò ad Secundum: Subjectio quidem impedit ordinationem, sed facillimè impedimentum remitti-

C

remittitur; quoniam concessio libertatis efficit, ut ordinatio fiat; quinimmo & facta tenet, etiam si Dominus fortasse ignorasset, *c. Si servus sciens, § 4. d.* Et ibi vide *per. tot.* Hinc etiam Clericus alterius Diocesis cum licentia Ordinarii ordinatur, *cap. 1. sess. 7. & c. 2. sess. 14. in Conc. Trid.*

Delictum autem commissum, si notorium est, veluti homicidium ex voluntate commissum, dispensationem non meretur, *c. 7. sess. 24. in Concil. Trid.* Si verò est homicidium sine culpa perpetratum, non est necessaria dispensatio, quod si culpa præcessit, tunc secundum qualitatem homicidii fit dispensatio cum majori, vel minori difficultate, *c. Lata, c. Continebatur, de Homicid.* Id tamen verum est, quod si quis delictum commiserit, postquam est ordinatus in susceptis ordinibus, toleratur, sed administratio interdicitur, *c. Studeat, § 0. d.* Cæterum si quis secundario mortem alicujus procuraverit, veluti si prosequendo propriam offensam ipsum Judici detulerit delinquentem, qui fuerit postea ad mortem damnatus, potest dispensationem obtinere, *c. Postulanti, extr. de Homicid.* Idem dicitur de Furibus, namque etiam cum his potest dispensari, intervenientibus his quinque supra relatis, *c. Non dicatis, 12. q. 1. c. Laici, 33. d. c. Tantis, d. 81.* Qui simoniaco ordinati sunt, regulariter dispensationem non solent obtinere, sed cum maxima difficultate. Goffr. in *Rubr. extr. de Simon. num. 27.* Quò ad tertiam causam Rebaptizati necessitate si in fide perseveraverint, juste ordines suscipiunt. *Arg. tex. in cap. Cum per Bellicam, 34. d. 1. c. Tunc valere, de Consecrat. dist. 4.* Similiter cum filiis illegitimis dispensatur, *c. 1. de Filiis Presbyt.* Quò tandem ad lesionem, quando est modica, dispensatio non difficiliter obtinetur; si maxima tunc secus, veluti si quis oculum amisisset, tunc enim cum maxima difficultate obtineretur dispensatio. Id tamen est verum, quod si collati sunt ordines, ordinatio non retractatur, sed executio suspenditur, *cap. 2. c. seq. de Cler. agrot. ut supra diximus.*

Quò ad Postremum: Si de minoribus ordinibus tractatur in quibusdam casibus Episcopus potest dispensare, secus si de majoribus, *c. Continebatur, c. Ad audientiam, de Homicid.* Ulterius potest etiam dispensare Legatus de Latere, quia quod non est specialiter reservatum Summo Pontifici, intelligitur Legato concessum, *c. Nisi, de Offic. Legat.* Insuper regulariter Summus Pontifex est ille, qui dispensare potest. Idque facit ratione concurrente, veluti si membrum deficiat, vel alia causa, quæ ordinationem impediatur, & maximi sit momenti, concurrat, *c. Speculator, §, Nunc breviter, de Dispensat.*

TIT. XXVI.

De Præbendis, & aliis Beneficiis.

Valdimus de his, qui possunt ad ordines promoveri, sed quia illis, qui promoventur, Præbendæ, seu beneficia conceduntur, ob id nunc tractatur de hac materia. Et pro tituli intelligentia videbimus:

1. Quid sit Beneficium?
2. Quid Præbenda?
3. Quibus Beneficia concedantur?
4. A Quibus?
5. Quot modis?

Quò ad Primum: Beneficii nomen æquivo-cum est, sed in nostro titulo præfertur Præbendas, & dignitates Ecclesiasticas, & potest dici Ecclesiasticum Beneficium (de quo tractamus,) ut sit distincta, & spirituali munere consueta Jurium Ecclesiarum portio, certis adibus sacris in hoc assignata, ut perpetuo ad vitam utendo Clerico legitime assignetur. Tholgan. in suo tractatu Syntagm. Juris, lib. 17. c. 2. n. 2.

Vel potest dici Ecclesiæ concessio, utilitatem fructuum, que reddens, *ibid.*

Quò ad Secundum: Præbenda primo loco significat perceptionem quandam fructuum à canonicatu sejunctam, quæ etsi de rebus Ecclesiasticis detur, tamen non ratione officii, sed laboris temporalis de Ecclesiæ benemeritis conceditur, *c. fin. extr. de Magist.* Secundo modo Præbenda sub nomine beneficii continetur, *c. Pro illorum, c. fin. de Præbend.* Et est Jus percipiendi proventus Ecclesiasticos alicui tanquam Uni de Collegio competens, & ex Canoniam procedens, *§, Præbenda, hic, c. Relatum, de Præbend.* Non enim debet esse quis Canonicus sine Præbenda; & fuit inventa Præbenda, ut ille, qui Altari servit, possit de Altaris redditu victum percipere, *§, Cum enim, infr. eod. hoc tir.*

Quò ad Tertium: Præbendæ, & beneficia conceduntur illis, qui sunt ordinati, & Clero adscripti, & illis potissimum, qui per se possunt in Ecclesiis deservire, & munus injunctum explicare, *c. 1. 2. sess. 24. in Conc. Trid.* vel ut inquit Goffredus in *Summa in Rubric. n. 2.* conceditur idoneæ personæ, quæ resideat in loco, & curam ejus valeat per se exercere, *c. Relatum, extr. de Cler. non resid.*

Quò ad Quartum: Regulariter præbendæ conceduntur à Prælato Ecclesiæ, in qua præbenda vacat, *cap. Ex frequentibus, &c. Ad decorem, de Institut.* Verum tamen est, quod interdum de consuetudine in contrarium observatur, *c. Cum Ecclesiæ, de Elect. extr. de Concess. Præb. c. Nulla;* quoniam interdum Prælatus cum Capitulo, interdum autem Capitulum beneficia confert, *d. c. Nulla, & sunt text. inc. 1. 2. 3. &c. Novit, De his, qua sunt à Præl. sine cons. capit. ubi Prælatus solus confert, d. cap. Cum Ecclesiæ, ubi Capitulum solum sine Prælato confert: sed de Jure communi Prælatus unà cum Capitulo suo institutiones, & concessiones facere debet, d. c. 1. 2. 3.* Verum tamen est, quod si tractatur de Dignitatibus, collatio pertinet ad Summum Pontificem, qui in Beneficialibus est Dominus, *c. Cuncta 9. q. 3.*

Quò ad Postremum: Duobus modis conceduntur Beneficia, & Præbendæ: Institutione, & Collatione: de quibus infra dicemus. Hoc tamen est advertendum, quod concessio debet fieri pure; & sine aliqua pactione, & diminutione, *c. Un. extr. Ut Eccles. Benef.* Et adverte, neminem esse ordinandum, qui non habeat Præbendam, vel Beneficium aliquod; & si Episcopus aliquem inopem ordinaverit, tenetur illi præstare necessaria, donec ei aliquam Præbendam, vel Beneficium assignet, *c. Episcopus, extr. eod. & de hoc est c. 2. in Decret. de Reformat. sess. 21. in Concil. Trid.* Verum si quis habeat Patrimonium sufficiens potest ordinari ad titulum Patrimonii, ut in *Concil. Trid. d. sess. 21. c. 3. in Decret. Reform.*

TIT. XXVII.

De Collationibus.

Quoniam inferiora Beneficia conceduntur vel per Collationem, vel per Institutionem, cum Collatio videatur præcedere tanquam pendens ex arbitrio Superioris, ob id nunc agitur de Collatione: & pro tituli expeditione videbimus:

1. Quid sit Collatio?
2. Quot modis fiat?
3. Qui possint conferre?
4. Qua Ecclesiæ conferantur?
5. Intra qua tempora?
6. Qua sint in Collatione observanda?

Quò ad Primum: Collationis verbum æquivo-cum est: significat enim contributionem bonorum à Præatore institutam: & quasi communi-

hicationem præferret, de qua in *tit. ff. & C. de Collat.* Deinde significat rei ad rem comparationem. Sed quò ad materiam nostram, *Collatio est libera quadam Præbenda concessio, qua ab habente potestatem fit gratiò in Clericum; Vel potest dici, Gratuita quadam Beneficii vacantis assignatio, legitime facta ab eo, qui potestatem habet.* Abb. in *c. Relatum, num. 4. ext. de Præben.*

Quò ad Secundum: Ut hoc caput plenè intelligatur, distinguendum est inter personas conferentes: Etenim si de Summo Pontifice tractatur, quoquo modo potest fieri collatio. Purè quando collatio fit sine clausula suspensiva, vel dilativa. Item in diem quando confertur Præbenda, quam quis intra mensem, aut aliud tempus, à vacationis notitia duxerit acceptandam. Clem. Un. de *Concess. Præben. Vers. quia eod.* Quo casu si in rescripto adest decretum irritans, collatio facta ab Ordinario intra illud tempus est nulla, *c. Si soli, de Concess. Præben. lib. 6. est tex. in ff. Dies, hoc tit.* Ubi ratio redditur, quia Decreti appositio, reservatio, executoris inhibitio, & lis mota efficiunt beneficium, *cap. Tibi qui, de Rescript. in 6. de Concess. Præben. per tot. cap. 1. c. 2. Ut lit. pend. in 6.* Alios autem modos, quibus beneficia efficiuntur, refert Gloss. in *d. ff. Dies, in Vers. lis mota.* Item fit sub conditione, quando in rescripto conditio aliqua adjecta est: ut in *ff. sub Conditione, hic.* Et est differentia inter hunc, & alium casum, quia in hoc casu appositio irritante decreto, non impletis adhuc conditionibus, vacans beneficium per Ordinarium, aut per Executorem ad providendum de tali beneficio datum, liberè conferti poterit; quod secus est in casu superiori, ut supra diximus. Rursus sciendum est: Quòd si collatio fit à Pontifice motu proprio, plenissimè interpretatur; itaut ille, cui facta est concessio Ecclesiæ, alia beneficia retineat: si verò est facta concessio ad partis petitionem, tunc secus. *ff. Multum, inf. hoc tit. Clem. Gratia, de Rescript. c. Gratia, de Rescript. in 6. c. Si motu, de Præben. in 6.* Similiter si motu proprio fit provisio, & plures vacent præbendæ, de pinguiori intelligitur facta collatio. Si verò fiat ad petitionem partis, tunc de minori intelligatur: & si in primo casu beneficia sunt æqualia, eligit ille, cui gratia est concessa; secus autem est in secundo casu. *ff. Item, cum seq. inf. hoc tit. c. Super eo. 2. de Test. notatur in c. Sedes, de Rescript. c. In obscuris, de Re iudicata in 6.* Gratia autem dicitur fieri motu proprio, quando hoc expressè cautum fuerit, *ff. Motu autem, inf. hic d. c. Si motu.* Quòd si collatio fiat à Legato, vel Ordinario, tunc purè, & simpliciter fieri debet sine ulla diminutione, *c. Dilectus, 1. c. Majoribus, ext. de Præben.*

Quò ad Tertium: Tres possunt referri personæ, quæ Beneficia conferunt. Summus Pontifex, Legatus, & Ordinarius. Ordinarius Collator est ille, quem consuetudo approbavit, aut Juris autoritas designavit, ut Episcopus, *ff. 1. hoc tit. c. Omnes Basilica, cum ibi alleg. 16. qu. 3.* Etenim interdum Episcopus, interdum Capitulum separatim conferunt; nonnunquam Capitulum, & Episcopus simul; & hoc casu nec Episcopus sine Capitulo, nec Capitulum sine Episcopo potest conferre. *ff. Quam conferendi, hoc nos. tit. c. Unic. Ne Sed. Vac. aliq. innovetur.* Nisi forte alter impediretur, vel per suspensionem, vel per majorem excommunicationem, vel propter

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VIII.

mortem, *d. ff. Quam conferendi, c. In apib. ff. In quibus. 7. q. 1. & 23. q. 2. in princ.*

Quò ad personam Legati: Illud sciendum est: Quòd tres sunt species Legatorum, Legati missi, & sunt illi, qui ad certum negotium, vel Provinciam designantur, & Apostolici Nuncii dicuntur. Alii sunt nati, qui simul atque promoti sunt ad aliquam Ecclesiam, ipso Jure sunt Legati Papæ in sua Provincia: ut Episcopus Cantuariensis, *cap. 1. de Off. Legati.* Alii sunt Legati de Lateræ; & hi secundum communem opinionem dicuntur Legati Cardinales, de quibus vide Gloss. in *d. cap. 1. de Offic. Leg. & in c. Excommunicatis, in verb. commissa, eod. de Offic. Leg.*

Modo Legati missi, vel nati non conferunt, nisi sibi specialiter hoc concedatur. Legati autem de Lateræ conferunt. *ff. Ex legationis, in hoc tit. etiam Patrono invito, cap. Dilectus, de Offic. Legati.* Verum quomodo hoc procedat? vide Gloss. *ibi in concessione.* Id tamen certum est, quòd non possunt eodem tempore plures facere reservationes, *c. Præsenti, de Offic. Leg. in 6.* Verum materia reservationum per Concil. Trid. est correctæ *cap. 19. sess. 24.* Illud etiam est, in collatione facta tam ab Ordinario, quam à Legato observandum, ut nullum Jus acquiratur, nisi ille, cui facta est concessio, consentiat; quod ut facere possit, terminus assignatur, intra quem Collatores mutare sententiam non possunt. *ff. Illud, cum seq. hic, cap. Si tibi, de Præben. in 6.* Nota tamen quòd termino elapso, re adhuc integra, is, cui gratia est facta, potest consentire, qui si prius expressè dissenserit, rursus poterit acconsentire, si Conferens maneant in eadem voluntate, ut notatur in *d. cap. Si tibi, in fin. de Præben. in 6.*

Tertia persona, quæ potest Beneficium conferre, est Pontifex, qui quidem confert, quotiescunque rescribendo mandat, ut de Beneficio, vel Præbenda alicui provideatur, *cap. Mandatum, cum duobus seq. de Rescriptis.* Licet rescriptum largo modo dicatur, quicquid à Papa rescribitur ad consultationem, relationem, seu intimationem alterius, vel etiam dum indulget alicui. Et adde, quòd quotiescunque de Mandato Apostolico providetur, non solet provisio extendi ad beneficia curata, nisi id fuerit etiam expressum. *ff. Ex nostra, inf. hoc tit. cap. Cum in illis, de Præben. in 6.* Item mandatum faciens mentionem de collatione non potest trahi ad præsentationem, vel institutionem; itaut si alicui de Beneficio, quod ad alicujus collationem spectat, provideri mandatur, hoc casu, de eo, quod ad ejusdem præsentationem, vel institutionem pertinet provideri minime poterit. *ff. Idem obtineri, hic, d. c. Cum in illis. ff. Cum autem.* Et nota differentiam inter collationem, & institutionem; nam collatio propriè dicitur, quando beneficium est liberum, & in mera dispositione Episcopi; itaut disponat de illo beneficio Jure suo ordinario, absque aliqua præsentatione. Sed quando beneficium non est liberum, sed est in Jure Patronatus alicujus, quia Patronus præsentat, & ad præsentationem Patroni Episcopus instituit, illa propriè dicitur institutio. Gloss. in *Rubr. de Instit. in 6.* Item si in litteris facta sit mentio de beneficiis obtinendis, illæ litteræ non habent locum in Pensione. *ff. Et si quibus, hic.* Sed in hoc plura apud Garziam, de *Benef. part. 5.* Ubi tractat de his, ad quos spectat dispositio, seu Beneficii collatio, atque de Regularum Cancellariæ reservationibus

tractatur, in quibus non insisto, cum hæc sit amplissima materia, de qua Gonzalez, & Lotterius scripserunt grandia Volumina. Sed illud tantum subnectam, quod in Regula Mensium, Ordinariis quatuor tantummodo menses reservantur, scilicet *Martius, Junius, September, & December*, nisi eis gratiam alternativæ Summus Pontifex fecerit, qua altero quoque mense conferent, ita tamen ut *Januarius* Papæ contingat, & de hac alternativa supponitur sequenda pars Regulæ prædictæ, & in utraque parte plura dicit Garz. *ubi supr.* Gonzal. & Lotter. ad quos in litigiis est recurrendum.

Quò ad Quartum: Majores Ecclesiæ vacantes, & vacaturæ à Summo Pontifice conferuntur, quæ facultas aliis est interdicta, *cap. 2. de Præbend. lib. 6.* Et quotiescunque Summus Pontifex alicui Præbendam vacaturam concesserit, si is, cum vacaverit, eam non perierit ob negligentiam aliquam, in eadem Ecclesia petere non poterit, nisi fuisset in Canonicum electus, *c. Si Clericus, Vers. rerum, de Præbend. in 6. c. Commissa, de Elect. in 6.* Ordinarius tamen ponit omnia Beneficia Curata ad concursum ex *Concil. Trident. sess. 24. de Reform. c. 18.* Quòd si in genere fuisset facta concessio, potest primum, vel secundum Beneficium petere; non tamen quis posset præcisè illud, quod est concessum petere, vel acceptare, si non vacaret, *c. 2. de Præbend. c. Ne captanda, de Concess. Præb. in 6.* Alias autem vacantes Ecclesias, & omnes Basilicas ipsius Territorii conferre potest Episcopus, dummodo vacantes conferat, non vacaturas, *d. cap. 2. de Concess. Præb.* Legatus autem de Latere confert Ecclesias vacantes, & vacaturas, dummodo inter Provinciam, in qua est Legatus, vacat: idest reservat jus conferendi, non autem absolute vacaturas confert, *c. Deliberatione, de Offic. Leg. in 6. §. 1.*

Quò ad Quintum. Collatio Beneficiorum regulariter faciendâ est intra sex menses, quod tempus currit à die notitiæ, dummodo nullum impedimentum currat, *d. c. 2. de Conc. Præbend. & ibi Abb. & c. Quia diversitatem, eod. c. Litteras, de Supplend. negl. Prælat. §. Tempus, hoc tit.*

Quò ad Postremum: In tractatu de collatione à Summo Pontifice faciendâ hæc observantur.

Primum: Ut qui habet expectativam, non possit certum beneficium, antequam vacet, expectare, seu acceptare, sed illud, quod vacaverit, *§. Velsecunda vice, d. c. Ne captanda.* Deinde ut præferatur ille, qui est institutus à Pontifice, si fortè evenerit, ut eodem tempore sit beneficium ab ordinario collatum, nisi fortè quis esset in possessione, *arg. cap. Per tuas, de Major. & Obed. c. Si à Sede, de Præb. in 6. §. Item, hoc tit.*

Tertio illud in collatione Summi Pontificis servatur, ut rescripti fines diligenter observentur. Hinc est, ut si mandet Summus Pontifex, ut provideatur alicui de Beneficio certi valoris, valor ille non exceditur, *§. Sunt, hic, c. Cui de non Sacerdotali, de Præb. in 6.* Hinc est etiam quòd si alicui est providendum de Beneficio valoris viginti aureorum, non potest pensio assignari ejusdem quantitatis, ut supra dixi, *arg. cap. Illud 16. quest. 6.*

Servatur ulterius, ut facta collatione à Pontifice de Beneficio, quod erat conferen-

dum ab Episcopo, qui fuit negligens, unde per ejus negligentiam est questum Jus conferendi Capitulo, non teneat collatio in præjudicium Capituli, nisi Pontifex derogare voluerit, *§. Eademratione, juncto, §. Is quoque, hic cap. Litteras, de Supplend. negl. Prælat. Clem. si de Benef. & ibi not. de Præbend.* Non omittam, servari in collatione Pontificis, ut beneficia conferantur, cui ætas conferri patitur, *§. Interdum, hic.* Hinc si Præbenda vacatura fuerit concessa alicui, qui non sit Sacerdos, nec habeat ætatem habitilem ad Sacerdotium, & Præbenda Sacerdotalis vacaverit, hæc ei non conferitur, *cap. Ei cui, de Præbend. in 6.* Insuper Rescripta Pontificia interpretantur ex loco; nam si alicui concedatur Ecclesia Civitatis, tunc Cathedralis intelligitur exempta, quod secus esset si in Provincia diceretur, *§. Ex loci, infr. hoc tit. c. Quia periculosum, de Sent. Excommunicat. in 6.* Et de hoc alia ratio non redditur, quam illa, quòd lex ita statuit, *l. Propehit, ff. qui, & à quib. c. In causis, de Re Judic. §. Furtiva, Vers. non furtivam. Inst. de Usucap. Accedat servari in provisione Pontificis, ut scripturæ ordo servetur: Hinc si duobus à Papa rescribatur, ut alicui provideatur, & in utroque loco beneficium vacet, ad illum, qui prius est nominatus, provisio pertinet; est *tex. in §. Ex ordine; in hoc tit.* Secus modò esset si collatio unius Beneficii tantum ad plures spectaret, quoniam videtur omnibus præceptum, ut provideant, & beneficium conferant, *§. Si vero, inf. hic, c. Cum in illis, §. fin. de Præb. in 6.**

Adhuc servatur, ut cessante causa propter quam fit collatio, cesset etiam rescripti virtus: Hinc si Papa mandet, ut Clerico Pauperi provideatur, & Clericus Beneficium obtinuerit, provisio Pontificis cessat, *cap. Si Pauper, de Præb. in 6.* Et hoc casu litteræ dicuntur in forma pauperum; alias vocantur litteræ Justitiæ, vel quasi, *c. Cum secundum, de Præbend.* Addamus servari in collatione Pontificis, ut non expiret conferendi facultas, quando est sine expressione personarum concessio facta; secus si est certa persona expressa; & re integra concedens moriatur, *§. Illud hic, c. Sicui, & c. Si Episcopus, de Præb. in 6.*

Postremo loco Apostolici rescripti est virtus, ut si alicui generaliter committatur provisio, possit mandatarius alteri vices suas committere, quod secus esset, si fuisset electa industria persona, & nihil esset in rescripto dictum, ut possit eligens per alium providere, *§. Penult. in hoc tit. eod. c. Is cui, c. Fin. §. Cujus, de Off. deleg. in 6.*

Omnia supradicta de Collatione circa Beneficia vacatura hodie omnino recesserunt ab aula, quia *Concil. Tridentin. sess. 24. de Ref. c. 19.* abolevit expectativas quascunque de Beneficiis vacaturis, quia ex eis jurgia infinita oriebantur. *Nicolius Lucubr. Canon. lib. 3. tit. 8. num. 3. & Barbosa in Collect. DD. ad d. cap. 19.*

Quòd autem ad personam Legati de Latere, & Ordinarii collatoris requiritur, ut beneficia conferantur personis idoneis, intra tempus legitimum: & conferatur Beneficium sine ulla diminutione, *§. fin. hic.* Quòd etiam supra dictum est.

T I T. XXVIII.

De Institutionibus, & Jure Patronatus.

Um duo sint modi, quibus inferiora Beneficia conferuntur, Collatio, & Institutio, & supra tractatum fit de Collatione, nunc agendum de alio modo venit, nempe de Institutione: quae tunc proprium locum habet, quando conferuntur Ecclesiae, in quibus aliquis jus habet. Et pro tituli expeditione videbimus:

1. Quid sit Institutio?
2. Quid sit Jus Patronatus?
3. Qui possint Jus Patronatus habere?
4. Quomodo Jus Patronatus constituitur?
5. Quomodo Jus Patronatus Laicorum alteri acquiri possit?
6. Quomodo Jus Patronatus conferatur?
7. Quomodo amittatur?

Quò ad Primum. Institutionis nomen aequivocum est, ut in *Gloss. prima, hic*. Sed in casu nostro significat collationem necessariam, quae fit ab Episcopis in praesentationibus ab inferioribus factis, per quam collationem approbatur factum illorum: ut not. in *c. Post Electionem, de Concess. Prab. in 6.* Et similis est collationi, quia qui confert, seipsum non potest instituere, ita nec is, qui se praesentat. *S. Sunt autem, hoc, tit. c. Didicimus, 24. quast. 1.* Item sicut non conferuntur Ecclesiae vacaturae, item nec Jus Patronatus. *S. Item, hic, cap. Constitutus, & c. fin. de Conc. Prab.* Differunt verò Collatio, & Institutio, quia Capitulum, quod non potest conferre beneficia, quorum Collatio ad Episcopum pertinet, potest Sede vacante instituere, praesentatos. *S. Dissimiles, h. r. c. Illa, extr. de Sede Vacante.* Insuper collatio ad ordinarios, & Ecclesiasticos pertinet, Praesentatio verò, & Jus Patronatus etiam ad Laicos *c. 2. & 3. de Jure Patronat.*

Quò ad Secundum. Jus Patronatus terminus est etiam Juris Civilis, & Juris Canonici. Secundum Jus Civile significat Jus, quod habet quis in personam manumissam, *tot. tit. de Jure Patron.* Secundum Jus Canonicum est Jus praesentandi Clericum ad Ecclesiam vacantem, ex gratia concessum ei, qui consentiente Episcopo, vel fundavit, vel construxit, vel dotavit Ecclesiam. *S. I. cum seq. h. r. c. Filiis, c. Pia mentis, 16. quast. 7.* Sunt qui describunt Jus Patronatus dicentes: *Ut sit Jus honorificum, onerosum, & utile competens alicui in Ecclesia, pro eo quod Dioecesi consensu Ecclesiam fundavit, construxit, & dotavit, vel ipse, à quo causam habuit solus, vel alio concurrente.* Ita Tolof. *in tractat. de Jure Patron. c. 4. lib. 17. num. 1.* Et dicitur Ecclesiasticum, quia spirituali est annexum, *c. Quando, extr. de Judic.* Et hinc est, quod de per se non potest vendi, *c. Ex litteris, c. Cum secundum, eod. f. Sed si quis, h. r.* Sed bene transit cum universitate bonorum, *dictis Jurib. & notatur in d. c. Cum secundum.*

Quò ad Tertium. Hiregula constituenda est generalis, posse Jus Patronatus à quocunque sive Clerico, sive Laico haberi, nisi forte speciali ratione quis prohibeatur, ut sunt, qui propter delictum damnati fuerunt, veluti propter crimen haereticis, aut aliud simile delictum, *c. In quibusdam f. fin. extr. de Haeret. c. Si quis deinceps, c. Quisquis, 17. quast. 10.* Ibi enim in Ecclesia Jus aliud habere non possunt, *d. c. Didicimus.* Ne-

que quod ad hoc distinguitur inter masculos, & foeminas; eo quod indistincte, & masculi, & foeminae hoc Jus habere possunt, quod saepe evenit, ut quando foeminae haeredes existunt, quoniam tunc cum universitate bonorum habent etiam Jus praesentandi, quod ad defunctum pertinebat. *Abb. in Rubric. & in c. 1. de Jure Patron.*

Quò ad Quartum. Tria potissimum existunt, quae Jus Patronatus constituunt, Aedificatio, Dos, & Fundatio, *d. c. Pia mentis, cap. Filiis 16. quast. 7.* Probatur in *c. Nemo, in Concil. Trid. sess. 14. de Reformat.* & est *rex. in f. Constituitur, hoc rit.* Etenim si quis, consentiente Episcopo loci, ac servatis servandis, Ecclesiam construxerit, Jus Patronatus acquirit, *c. Nobis, de Jure Patronat.* similiter si quis Ecclesiam non construxerit, vel aedificaverit, sed Ecclesiae jam aedificatae redditus assignaverit de Patrimonio proprio, ad hoc ut possint in Ecclesia divina, quotidianis temporibus, celebrari officia, acquirit quasi in remunerationem Jus Patronatus, *c. Nemo, de Consecrat. d. 1. c. Ad audientiam, de Eccl. repar. vel. aedific.* Vel tandem, qui fundum tradiderit his, qui Ecclesiam aedificare volunt, ad hoc ut ibidem Ecclesia constituatur, Jus Patronatus similiter acquirit, *ut ibid. dicitur.*

Quò ad Quintum. Duobus modis Jus Patronatus postquam est apud Laicos in alios transfertur: Vel titulo universalis, vel titulo singulari. Si titulo particulari debet gratis transferri, quo casu requiritur assensus Episcopi, nisi in locum religiosum transferatur, vel ei, qui Compatronus est *cap. Ex insinuatione, & Gloss. ibid. extr. de Jure Patron. c. Unic, de Jure Patron. in 6.* Vel transfertur titulo universalis, quo in casu non gratis transferri potest; sed tunc non consideratur de per se, sed veluti quoddam in universitate comprehensum, *c. Ex litteris, de Jure Patron.* Rursus acquiritur Jus Patronatus inter vivos, & per actum inter mortuos. Per actum inter vivos veluti donatione, cessione gratis facta, aut simili modo. Per actum inter mortuos, veluti ex successione ab intestato, vel ex Testamento, quando quis succedit ei, qui Jus Patronatus habet, *cap. 1. extr. eod. de Jure Patron. Goffred. in tit. de Jure Patron. n. 7.* Ubi etiam dicit, quod mutatur cum alio spiritali, *c. Nemini, 16. quast. 7.* Unum tamen moneo, quod Jus Patronatus transit in filios, si sunt haeredes, alioquin in haerem institutum, *Abb. in c. 1. num. 2. extr. de Jure Patron.*

Quò ad Sextum. Vacante Ecclesia illud in primis observatur, ut de Oeconomio provideatur, *cap. Charitatem 12. qu. 2.* deinde ut omnes, qui jus habent praesentandi, vel habere credunt (etenim & istorum praesentatio rata est, *c. 9. sess. 25. de Reform. in Concil. Trid. f. Interdum, hic.*) praesentent; & si forte inter se dissentiant, ille praesentatur, qui à majori parte est praesentatus: *S. Et si forte, inf. eod. c. Si forte dist. 63. & c. Quoniam, ead.* Praeterea praesentatio fit Episcopo, quia si alteri facta esset, nulla foret, *c. 13. sess. 14. de Reform. in Concil. Trid. & sess. 24. c. 28.* Qui quidem Episcopus tenetur praesentatum idoneum admittere, & instituere, ut in *d. c. 9.* & notat in *c. Quamvis, de Rescript. lib. 6.* Et si forte contingat, ut Patroni inter se non consentiant, potest Episcopus Patronos ad concordiam revocare interdicens divina. Tempus verò praesentandi est quadrimestre respectu Laicorum, vel semestris respectu Cleri.

Clericorum, *cap. Unic. eod. in 6. §. Sunt tamen, hoc tit.* Accedat, necessarium esse, ut presentent idoneos, alioquin presentatio nulla diceretur, *c. Cum dilectus, & ibi notat. de Jur. Patron.* Illud tamen verum est in Laico, ut possit unum, deinde alterum presentare. *d. §. Sunt tamen.* Sed hoc casu Episcopus eligit pro Arbitrio. *Goffr. in Rubr. de Jur. Patron. num. 4.*

Quò ad Postremum, Quatuor potissimum modis Jus Patronatus amittitur. Destructione Ecclesiæ; veluti si Ecclesia igne, vel terræmotu corruerit. Cessione, veluti si quis habens Jus Patronatus, ipsi Ecclesiæ hoc Jus cesserit, *c. Unic. de Jure Patr. in 6.* Constitutione Collegii, veluti si, Patrono consentiente, sine reservatione, Juris Patronatus, Ecclesia ipsa collegiata efficiatur, *d. c. Nobis, de Jur. Patr.* Ac tandem amittitur Jus Patronatus propter delictum, veluti si Patronus hæreticus evaserit, Rectorem Ecclesiæ interfecerit, ac simile delictum perpetraverit, *c. Si quis deinceps, & c. Quisquis. 17. q. 14. & isti quatuor modi traduntur in §. Penult. & ult. hoc tit.*

T I T. XXIX.

De Clericis non residentibus.

Quoniam facta provisione, vel per Collationem, vel per Institutionem, tenentur Clerici residere in Ecclesiis, ad quas assumuntur, ob id iste titulus subjicitur, in quo videbimus:

1. Quid residere significet?
2. Quando Clerici non residentes excusentur?
3. Quando non residentes puniantur?

Quò ad Primum: Residere nihil aliud significat, quam in loco permanere, in quo quis Ecclesiam obtinuit, itaut Ecclesiæ deservire possit: Et è contra non residere est propriam deserere Ecclesiam, alioquin vagari. *Gloss. in c. Nonnulli, extr. de Cleric. non resident.*

Quò ad Secundum. Illud primo loco sciendum est, quòd quotiescunque quis beneficium obtinet, debet personalem residentiam prestare, *c. 2. sess. 6. in Concilio Trident. de Reform.* Quòd si electus fuerit, qui non potest residere, & electus privatur beneficio, & eligentes puniuntur, *c. Quia nonnulli, c. Relatum, & tot. tit. extr. de Cleric. non resident, §. 1. hoc tit.* Modò si quis Romanæ Curie seu Pontifici deserviverit, seu proprio Episcopo, etiamsi non resideat, excusatur. *§. Juste, hoc tit. c. Dilectus, eod. & per Abb. in c. Olim de V. S. c. De cetero, eod. tit.* Insaper excusatur ille, qui causam Ecclesiæ in alio loco defendit, *c. Ex parte. 2. eod.* Quemadmodum & ille, qui abest studiorum causa, quo casu quinquennium conceditur, *c. Fin. de Magistr. in Concil. Trident. sess. 5. c. 1. de Reform.* Abb. in c. tua, & in c. Licet, extr. eod. Excusantur & illi qui inimicitia, vel infirmitate residere non potuerint, *c. Relatum, c. Inter, extr. eod.* Causas autem obiter enumerat Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de Reform. his verbis: *Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, atque evidens Ecclesia, vel Reipublica utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant, &c.*

Quò ad Postremum. Qui non resident, & non sunt excusati ex causa legitima, puniuntur, itaut si per sex menses à propria Ecclesia abfuerint, fructuum portio adimatur eis, quæ erit

quarta pars, & si creverit contumacia per alios sex menses, alia quarta fructuum priventur, *d. c. 1. sess. 6. de Reform. in Concil. Trident.* Quinimò si quis habet dignitates in Cathedralibus Ecclesiis, & ultra tres menses alibi sine indultu moratur, dimidia fructuum portione privatur, & si creverit contumacia, tunc omnes fructus auferuntur, *sess. 24. cap. 12. de Reform. in Concil. Trid.* Immodò semestre tempus viderur coarctatum usque ad tres menses ad summum, *c. 1. de Reform. sess. 23. in Concil. Trid.* Accedat quòd illi; qui proprias Ecclesias deserunt, licentia non obtenta, privantur quotidianis distributionibus, *c. 3. de Reform. sess. 22. & peccatum committunt, cap. 1. sess. 23.* Ac tandem si gravis contumacia efficitur, deponuntur, & beneficio privantur, ut in Bulla Pii Quarti de Residentia Pralat. & c. Qualiter, & c. Inter, ibiq. not. extr. de Cleric. non resident. Et de hac materia vide per Navar. in *Manuali, c. 21. num. 121.*

T I T. XXX.

De Regularibus, & Monachis.

Quoniam inter Ecclesiasticas personas Monachi, & Regulares existunt, ob id nunc de hac materia disseritur; Et pro tituli expeditione videbimus.

1. Quis Monachus dicatur?
2. Quis Regularis?
3. In quibus differant?
4. Qui possint ordinari in Monachos, seu Regulares?
5. Quot modis quis fiat vel Regularis, vel Monachus?
6. Qua requirantur, ut quis Monachus fiat?
7. Quæ teneantur Monasterium ingressi, & quomodo vivere debeant?

Quò ad Primum. Monachi, qui ab unitate, vel solitudine dicuntur, *cap. Monachum. 20. quasi. 1. c. & cupis, & c. Placuit. 16. quasi. 1.* illi propriè dici debent, qui virtute regulæ solitarie in Monasterio permanent, nec se predicationibus immiscunt, ut sunt illi, qui sunt Ordinis S. Benedicti, & qui habent bona in communi, *c. Monachus, c. Justa. 16. quasi. 1.* Nec isti propriè Fratres appellantur, sed Religiosi, licet vocabulo latè sumpto, quicumque tria vota emitit, hoc nomine significetur. *Clem. Exivi, de Verbor. Signif. Clem. Unic. de Excess. Pralator. c. Nimis prava, cap. Nimis iniqua extr. de Excess. Pralat.*

Quò ad Secundum. Regulares omnes illi appellantur, qui Regulam aliquam, & tria substantialia vota, Paupertatem scilicet, Castitatem, & Obedientiam in aliqua Religione approbata profitentur, *cap. Ad Monasterium. de Stat. Religios.* Isti enim Regulares habent certum modum Religiosè vivendi, & in hoc differunt à Monachis, qui strictiori vivunt Regula. Vide *Gloss. in Rubr. hoc tit. & secundum Goffredum in Summa hujus tit.* Regulares itaque sunt, qui ad vivendum regulariter, idest sub aliqua certa Regula, & ordine se adstringunt. Undè ex hoc apparet, appellatione Regularium, etiam Monachos contineri, ut hinc in princ.

Quò ad Tertium. Differunt in hoc Monachi à Regularibus, quia Monachis, ut dixi, vita magis restricta viderur injuncta. *§. Fugitivos, cum seq. hoc t. cap. Quod De timorem, de Stat. Monachor.* Verum his temporibus ista nomina confunduntur.

tur. Hinc sæpè sæpius Monachi Regularium nomine designantur, cap. 12. sess. 23. de Reformat. in Concil. Trid. c. ex parte, extr. Ne Cleric. vel Monach. c. Praesens. 30. quæst. 3.

Quò ad Quartum. Regula est generalis, quòd omnes possunt esse Monachi, nisi speciali ratione quis prohibeatur. Prohibetur verò.

Primo, qui non habet ætatem legitimam. §. Quòd si impubes in hoc tit. cap. 1. & 2. & c. Ad nostram, extr. eod. de Regular.

Secundo prohibentur Servi, c. Si servus. d. 54. Attamen si per triennium in Monasterio permanserit, efficitur liber. §. Quemadmodum inf. eod. Quòd si extra claustrum sit assumptus ad Clericatum, annus sufficit, non notatur in d. c. Si servus, vers. debent. Ratio diversitatis est, quia Clerici sunt in publico, Monachi verò latent.

Tertio: Debitis gravatus.

Quarto: Coniuncti matrimonio, reclamante Coniuge, extr. de Convers. Coniug. c. Coniugatus; Videlicet post consummatum Matrimonium, alter conjugum invito altero non potest Monasterium ingredi, juxta tex. in c. ex publico, de Convers. coniug. quem videas.

Quinto: Episcopus sine Papæ licentia. Abb. in c. Licet, num. 6. extr. eod.

Sexto: Prohibentur furiosi, & mentecapti, c. Sicut tenor, extr. eod. Ac tandem qui spontè non ingrediuntur Monasterium, non admittuntur, c. Si quis, extr. eod. §. Monachi in fin. hic. Et circa hoc vide quæ statuit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 17. & 18. tit. de Regul. & Monial.

Quò ad Quintum: Tribus modis efficiuntur homines Regulares, vel Monachi; Aut ex paterna devotione; Aut ex propria Professione; Aut ex voti emissionem.

Ex paterna devotione: quando Pater filios impubes Monasterio offert, quo casu si ingressus agens annum decimum sextum ingressum raturum habuit, exire amplius non potest, c. Cum virum, c. Significatum, extr. eod. In §. Monachi dicitur, quòd in anno quintodecimo potest approbare ingressum, quod non est verum, per dispositionem Concilii Tridentini sess. 25. cap. 15. in tit. de Regul. & Monial. ubi nemo potest profiteri ante annum decimum sextum: itaut Professio antea facta nullum pariat effectum: unde tolluntur notata in c. Illud, extr. eod. ubi vide.

Propria Professione quis Monachus fit, quando spontè Monasterium ingreditur, vel post tempus probationis raturum habet. Abb. in c. Ad Apostolicam, extr. eod. §. Propria, hic. Ubi potest quis & tacitè, & expressè Monachus fieri: Primo modo approbando habitum receptum, ut ex nimia mora in Monasterio, vel ex mora per annum, vel per evidentiæ signa, vel per assumptionem habitus professorum, c. Vidua. 27. quæst. 1. c. Vidua, extr. eod. c. Quòd interrogati. 27. dist. §. Tacitè, hic. Secundo expressè profitendo, ut si quis post annum probationis habitum suscipiens Monachalem regulis Monasterii se obstringere velle profiteatur, d. §. Propria, hoc tit.

Tertio tandem quis Monachus efficitur, quando quis deliberatè, & spontè Deo promittit, se velle religionem aliquam ingredi, c. 1. de Vor. in

6. cap. Per tuas, de Vor. & Vor. redempt. §. Is quoque hic. Et hoc adeò verum est, ut etiam si Prælatum fuerit consequutus, illam teneatur omittere, & Domino promissa reddere compellendus est, d. §. Is quoque. Est autem Votum simplex, quod non est aliqua professione munitum. Solemne est, quod quis per Professionem tacitam, vel expressam comprobavit. §. Est autem, hoc tit. d. c. Unic. de Vor. in 6. Et nota, quod per votum solemne derogatur simplici. §. Illud quoque, hoc eod. tit.

Quò ad Sextum: Requiritur.

Primo: Legitima ætas, c. 1. extr. eod. §. Is igitur, hoc tit.

Secundo: Ut Professio ei fiat, qui potest in Religionem personas recipere. §. Si tamen, hic.

Tertio: Ut Religio sit approbata. §. Novissimè, hic. Regulæ autem approbatae sunt Quatuor, Basilii, Benedicti, Augustini, & Francisci; sub quibus omnes Religiosi militant, exceptis Carthusiensibus, qui suas ordinationes pro Regula habent. Nunc tamen alia plures Regulæ per Sedem Apostolicam sunt approbatae.

Quarto: Quòd Prælati requirant consilium Capituli, c. Novit, extr. de his, quæ sunt à Prælat. Sed in hoc nonnulli tenent contrarium per c. Ad Apostolicam, extr. eod. Tu vide Gloss. in d. §. Si tamen. in verb. Abbate.

Quinto: Quòd vota emittantur, de quibus supra.

Sexto: Ut Persona sit habilis. §. Quemadmodum, inf. eod. Et quomodo quis dicatur inhabilis dictum est supra in quarto capite.

Septimo: De voluntate ingredientis inquirendum est, d. §. Monachi, eod. cap. 17. sess. 25. de Regul. in Concilio Tridentino.

Quò ad Postremum: Ille, qui ingreditur, teneatur præcipuè vota emissa servare, & permanere in Monasterio, cap. 1. c. Ad nostram, extr. eod. §. Igitur, hoc tit. Et nihil proprii habere. §. Sed nihil, inf. eod. Authent. Ingressi. Cod. de Episc. & Cler. c. Quia ingredientibus. 10. quæst. 3. cap. Super. de Stat. Monachor. Et quoniam inter præcepta Monachorum præcipua est prohibitio aliquid donandi, tam sibi ipsis, quàm exteris personis juxta Bullam Clementis Papæ VIII. de largitione munerum de Anno 1594. Incipien. Religiosa Congregationes & c. cum ex ea plurimæ difficultates sint à Moralibus excitatae, earum plenam resolutionem studiosus Lector videat in meis Discordiis Forensibus De Regularibus Discord. III in qua offenditur, quid, quando, quomodo, & quibus? tam Monachi, quàm Moniales possint absque peccato munera elargiri.

Hoc etiam est notandum, quòd Regulares non debent Ecclesiis Parochialibus præesse. §. Singuli, in fin. hoc tit. Et istam generalitatem declara, ut per Abbat Gloss. & alios in cap. 1. & c. Quòd Dei timorem, de Stat. Monach. Quòd Regularibus interdum conceditur, d. cap. Quòd Dei timorem. Canonici verò Lateranenses habita dispensatione Apostolica obtinere possunt beneficia secularia sive Curata, sive Simplicia; ut ego probavi in dictis meis Discordiis Forensibus De Regularibus Discord. XI, per totam.